CHATSWORTH

Bookcase

Shelf

LILIATVM
VIRIDARIVM.



LILIATVM VIRIDARIVM

EMINEN.^MO PRINCIPI
STEPHANO CARD.^LI DVRATIO
ET
ARCHIPRÆSVLI.

A GENVENSI SEMINARIO EXCVLTVM
REVERENDO FRANCO GNECO
RECTORE.

GENVÆ: EX TYPOGRAPHIA PETRI IOANNIS CALENZANI. M.DCXL
SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO

CÆSARI DVRATIO

STVDIOSORVM

optimo Mecœnati

F. Æ.

DIù, multùmque fluctuauit animus noſter, Illuſtriſſime CAESAR, an in lucem proferremus extemporaneum illum apparatum, quem in Eminentiſſimi STEPHANI Cardinalis Duratij ampliſſimi Fratris tui inopinato aduentu domi conſcripſimus, & exhibuimus. Deterrebat tumultuaria illa ce-

leritas, qua abortum potiùs, quàm maturum felicis ingenij partum optimo iure ſuſpicabamur. Sciebamus omnes prætereà Eminentiſſimo Principi, & Præſuli defuturos nunquàm ſuarum præcones laudum celeberrimos, qui præclara eiuſdem facinora æternitati commendarent; Atqui tandem immortalis in nos promeriti memoria omnem ſedauit motum, & iucundiſſimus ille conſpectus, qui nos beauit aliquando, diſpulit omnem timoris caliginem. Huc accedit, Illuſtriſſime CAESAR, tuum felix auſpicium, quo futurum concipimus, vt ab omni temporis iniuria, atq; inuidorum obtrectatione exiguum hoc opus eripiatur: quod licet tanto Ciue, & Viro minùs dignum ſit, certè non indignum faciet humanitas illa ſingularis, quæ Domus propria eſt Duratianæ. Neque verò ad voluntatem loquimur, quo nihil flagitioſius excogitari poſſe cenſemus, ſed ad veritatem: Cuius rei teſtes locupletiſſimos aduocamus ciues ſingulos, & vniuerſos vbique locorum deprædicantes, inter DVRATIOS vnam eſſe humanitatis contentionem, prætereà nullam. Teſtem etiam aduocamus Hiſpaniam, quæ Sereniſſimæ REIPVBLICAE GENVENSIS Le-

gatum

gatum extra ordinem Te vidit, & in conſultando maturitatem, in agendo dexteritatem, in omnes excipiendo incredibilem demirata eſt humanitatem. Teſtis denique Saonenſis Ciuitas eſt, quæ Te abeuntem lacrymis proſecuta, æneorum Tormentorum lętiſſimis bombis Parentem ſuum, non Gubernatorem ſalutauit. Hinc diuinitùs (nec fallit omen) Tibi CAESARIS nomen inditum putamus, ſicut clementiæ inſigne præ cæteris Tibi proprium, & hæreditarium. Maiora his, ingenuè fatemur, ad Te fuerant munera deferenda, ſed vt in ſpem venimus, Tibi ſatis erit in magnis nos voluiſſe. Neque enim Principes viri ſempèr pro meritis collaudati ſunt. Artaxerſes etiã lutulentã aquam illotis abiectiſſimi homuncionis manibus exhibitam hilari fronte excepit, & ſuauiorem nunquam ſe deguſtaſſe profeſſus eſt. Quare vt animum noſtrum, non tenuis ingenij vires expendas (Sereniſſimi olim Parentis digniſſima proles) Te non rogamus ſolùm, verùm etiam obſecramus. Quod ſi has exiguas tuorum ex animo famulorum primitias perhumanitèr excipies (excipies certè) nouo hoc Tibi beneficio nos omnes æternùm oppignera-

ros habebis. Viue, vale, fortunare. Genuæ ex ædibus Seminarij Nonis Februarij. Anno à Chriſto Nat. 1640.

Tui Addictiſs. Cliens

Francus Gnecus Seminarij Rector.

SEMINARII ALVMNI LECTORI BENEVOLO S. P.

EN tibi (Lector beneuole) in lucem prodit noſter hic libellus nihil habens in ſe lucis, niſi quam à Sole ſuo mutuatus eſt. Neque verò tàm nobile argumentum, quod omne ſuperat artificium, adeò rudi Minerua aggredi auſi fuiſſemus, niſi illius Pelargicæ legis, qua mutua beneficia iurè rependere iubemur, ſtimulis adacti, piaculum putaſſemus in tàm munifico beneficiorum cornu quaſi copiæ obmuteſcere. Quis enim cum noſter non Princeps ſolùm, verùm etiam Paſtor, & Parens ad nos omninò immerentes venire dedignatus non eſſet, grati animi ſignum aliquod non ederet, atque Epigrammata, ſi non arguta, verſus certè numero alligatos præ lætitia non funditaret? Quod ſi pauca quædam protrita, & vulgata ſolùm è multis ſelegimus Encomijs noſtri Archipræſulis, quæ tàm multa eſſe non ignoramus, vt fugiat mentem numerus, Modeſtiæ habenda fuit ratio, ne veris etiam Encomijs mens eius læderetur, in veris quoque laudibus aſſentationem pertimeſcens. Si quidpiam per imprudentiam adoleſcentibus lapſum videbitur, obſecramus te (candide Lector) vt corrigas, non culpes;

quis

quis enim eſt oculis tam Lynceis, vno excepto Deo, vt omnia peruideat? Si denique inſulſa videbuntur Epigrammata, memor ſis ab immaturæ ætatis adoleſcentibus, hoc opuſculum compactum, qui in eloquentiæ viridario, nondum omnes benedicendi floſculos primæuo ætatis flore legiſſe, & collegiſſe potuerunt. Maturiores (benè liceat ominari) cum maturuerit ætas in lucem proferent fructus à ſapientiæ Sole meliùs decoctos. Sed ſi non omnia tui erunt ſtomachi, quid faciamus? totius etiam huiuſmodi Poeſeos lumen vidit ſua Epigrammata, licet leui ſeruanda Cupreſſo, non omnibus futura ad guſtum: Inquit enim ad Auitum.

Mart. lib. 1 Epigr. 17.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis; Hic alitèr non fit, Auite, liber.

Benè animatam voluntatem, non tenues expendas ingenij vires. Laus magna eſt, communi Sapientium calculo, quæ laudari meruerint, voluiſſe pro virili commendare. Non magni laboris eſt, Princeps ait Epigrammatariorum, pauca quædam tetraſticha, aut diſticha componere.

lib. 7. Epigram. 84.

. . . . . facile eſt Epigrammata bellè
Scribere: ſed librum ſcribere difficile eſt.

Seriem ſeruauimus apparatus, quam potuimus; multa reticuimus, ſed quæ pauca hic exponuntur ijs, quæ reticentur, facem præferent. Ex vngui dignoſcitur Leo, ex aurora dies. Cæterum Hypercritici meminerint florum fragrantia animalcula quædam exanimari; Apes contra ſuccum inde, & mel ſugere. Zoili diſrumpantur inuidia, & dolente oculo vel videant, vel legant hunc libellum; lumen ægris oculis tantum officit. Quod ſi in eodem circo optant currere ad palmam, per nos patet campus; Argumentum tàm illuſtre non paucis diuinarum laudum materiam ſuppeditat. Tu Lector beneuole benigno oculo lege, faue, & æternùm vale.

Ad

Ad Studioſos Seminarij Alumnos EPIGRAMMA

Adm. R. P. Ioannis Baptiſtæ Calui I. V. D.,
& Eccleſiæ S. Donati Genuæ
Præpoſiti.

VNde nouo reſonas Parnaſsia culmina cantu?
Cui ſtrepit AEolium, Flos iuuenilis, ebur?
Tantanè mortali tentas Encomia plectro,
Quæ vix fama queat mille per ora loqui?
Ni tibi crinales quatiant plantaria frondes:
Ni tibi colludant ſaxa animata modis:
Ni noua Dircæi renoues miracula vatis;
Et vaga flumineos comprimat vnda pedes:
Crede nefas celebrare tui præconia Phœbi,
Præſtiterat tacita quæ ſtupuiſſe chely.
Jam ſcio: non claræ ſuperaddere lumina luci;
A tanta quæris ſumere luce decus.

Adm.

AD EGREGIAM IVVENTVTEM
Seminarij Genuenſis Alumnam

Admodum Reuer. P. Sinibaldi Ferrarij Eccleſiæ S. Andreæ Rectoris

EPIGRAMMA.

PAnde Helicona ſacrum, Parnaſsi pande receſſus,
Funde nouum Patri, docta iuuenta, melos.
Cantando extuleris cum altæ præconia mentis,
Inſignes animi quàm benè fundat opes:
Optatam patriæ qua ſpectet fronte ſalutem:
Impreſſam plantis Patris, Auiq; viam:
Quàm ſublimè volet maior ſe Principe Paſtor,
Pondus inaudita dum pietate ſubit:
Cum merita, & titulos ſummis æquaueris aſtris,
Facta ſacri Herois, quo licet ore, ſonans:
Dic, ò dic, decora hæc mille exſuperantia Pindos,
Mortalis tentas lingua? verere ſilens.

Eiuſdem

Eiuſdem.

DE EMINENTISSIMO
D. CARDINALI DVRATIO
AD VRBEM GENVAM
EPIGRAMMA.

Romulidum Cælo generoſo hæc ſtipite planta
VRBANI magni rore riganda data eſt.
Ille piè cultam, oſtri auctam fulgore remiſit,
Cernens quid patrio ſit paritura ſolo.
Suſpice quo impoſitum ſuſtentat robore pondus:
Suſpice, vt immoto vertice firma manet.
Suſpice poma ſacris quot pendent aurea ramis,
Aurea poma animis grata alimenta pijs.
Non habet hæc vigilem, quem tu verearе Draconem:
Contremit immò ardens, hac vigilante, Draco.
GENVA plaude libens, ſit vox hæc omnibus vna,
Tantum ne repetas inuida ROMA bonum.
Si repetas, Planta hæc, reſonent Capitolia, digna eſt,
Orbem quæ totum paſcat, & vna regat.

Adm.

Admodum Reuer.
D. IOANNIS ANDREÆ AZARII Cathedralis Eccleſiæ Saonenſis Canonici

AD LIBRVM.

DElphica planta vetat reboantes ætheris iras;
Vnde perennis honos, inde patrocinium.

Quid memorem Lauri ſeruatas tegmine frontes?
Tuta ſub hoc quoties martia Roma fuit?

Torqueat exanguis mordacia fulmina liuor,
Cerbereo Stygias deſpuat ore faces:

Irrita tartareus iactabit ſpicula Momus,
Pandet nequicquam guttura tetra canis.

Quid trepides generoſe liber? tua gloria, Cæſar,
Ad quæ confugias, Laurea ſerta gerit.

Adm.

Ad Seminarij Alumnos ADM. REV. DOMINICI IORDANI ex Collegio Maſſa D. Laurentij nuncupato.

Fontibus Aonidum pubes aſcita bibendis,
Inter Apollineos iam referenda choros,

Ecce patet latè campus, quo flumina pandas
Eloquij, ingenij lumina rara tui.

At caue Dædaleas ne te vigor induat alas,
Ad conuexa poli dum propiora volas:

Neu ſolis radijs oculos præſtricta, labansq;
Cæcutias mediam iam propè menſa viam.

Suſpice, ſi ſapias, plectro meliore ſonandum,
Ne pigeat minimis attenuaſſe modis.

Eiuſdem

Eiuſdem
AD VRBEM GENVAM
GRATVLATIO.

Pontificum fœcunda parens, ſacriq; Senatus
Pars non parua, decus non minimum Heſperiæ,

Cuius opes ſtupet Europa, & ſurgentis honores
Africa terra tremit, Græcia docta colit,

Excipe læta, refert tibi quæ Duratia proles
Lumina, luminibus condecorata tuis.

Excipe tergeminas, populo plaudente, coronas,
Præmia virtutis, purpureamq; togam.

Exceptura ſacram generoſa ex gente tiaram,
Quam modò vtroque vides regna tenere foro,

Clarior hoc, GENVA, *es toto quod diceris Orbe,*
Heroas totidem, quot generare Viros.

Ad

Ad Alumnos Seminarij Genuenſis

A. R. BARTHOLOMÆI SALATÆ I.V.D. ex Collegio Maſſa S. Laurentij nuncupato.

DVm ſacra Phœbeæ reſeras penetralia Cyrrhæ,
Ludis & Aonio, docta Iuuenta, lacu:
Aſtupet aura ſonos: cedunt Heliconis alumnæ;
Cedit hyantei gloria prima iugi.
Dum reſonas Pindum, modulis commurmurat Echo:
Sufficit æthereum Caſtalis vnda melos.
Claret Apollineo veſter dum pectine Phœbus,
Fit decus à docto clarius ore tuum.
Concine: dũ celebras STEPHANVM *te laudibus effers:*
Præmia ſic virtus digna labore refert.
Dum tu liligero cingis Diademate Phœbum;
Phœbus laurigerum dat diadema tibi.

Ad ſtudioſos Seminarij Alumnos D. HIERONYMI BARDII olìm in Piſano Athæneo Ariſtot.cæ & Plat.cæ Philoſophiæ Profeſſoris.

EPIGRAMMA.

Alluditur ad Gentilitium Stemma.

Pande ſinus, Parnaſſe, tuos: ecce inclyta Pubes
Caſtalij montis culmina ſacra petit.
Roſcida diſtillent ſublimi è vertice mella,
En pubes lymphas iàm bibitura tuas.
Fortè Aganippea dum fons permurmurat vnda,
Tot Palmæ, & Lauri culmina in aſtra ferent.
Eſſe ego quàm vellem fugiens per gramina riuus,
Lactarem vt veſtrum nectare dulce caput!
Credo equidem (&, ſi quid veri mens augurat, opto)
Hinc doctæ frontis præmia poſſe peti.
Nàm vos Cæleſti perfundent LILIA Rore,
Quò dulce, & ſanctum mellificetis opus.
Veſter adeſt Phœbus; manibus date LILIA Plenis:
Illius vt cingat docta corona caput.
En Sol veſter adeſt, Muſarum docta caterua,
Percurrens Zonas, queis tua corda ligat.

Gratiam

Gratiam Dei, virtutes Principis colligunt apes Seminarij

ADM. R. IO: BAPTISTA MARCHETTI.

CErnite vernanti ridentia Lilia campo;
Rorat Lympha poli, ſumite dona poli.

Digna polo proles, præcento ſumite bombo,
Fingite digna polo munera mellis, apes.

Fingite: Ros Cæli, redeunt ſua pabula Cælo,
Nectarei latices, ambroſiæq; dapes.

Menſa propinanti non eſt ingrata Tonantis:
Deſerit ima ſoli, qui cibat ora poli.

Ad ſtudioſos Seminarij Alumnos

EPIGRAMMA

Perill. & adm. Reu. D. STEPHANI CATTANEI Genuenſis Patritij.

COnnectant alij morientia lumina prati,
Mortali intexant ſerta caduca manu.
Necte, cohors generoſa, tuo Diademata Phœbo:
Solari dignum murice necte decus.
Labetur nunquàm tantorum gloria florum,
Quos Aganippæis nutrit Apollo iugis.
Ventilat Aonijs clementior aura ſuſurris:
Cœlicus æternis educat imber aquis.
Inter Olympiacas, rutilantia lumina, flammas,
Cypria Gnoſiacæ ſerta dedere Deæ.
Et tibi perpetuæ donabit præmia lucis,
Cumq; ſuo æternùm ſole manebit opus.

Ad

Ad ſtudioſam Seminarij Ianuenſis Iuuentutem

EPIGRAMMA

D. P. Hieronymi Paggij olìm Seminarij Alumni.

INclyte flos Iuuenum patrijs benè ſurgis in oris;
Præſulis & circum Lilia rubra viges.
Non tua tempus edax natali lædere culmo
Germina, non mortis falx truculenta valet.
Præſulis in laudem reſeras dum murmure frondes,
O quis flore lepos, laude quis halat odor!
Inclyte flos iuuenum longos florebis in annos;
Te virtus proprio prodiga lacte fouet.

Aliud eiuſdem in eoſdem.

PAndite virtutis, Iuuenes, inſignia; palmas
Iàm vobis STEPHANI gloria rara parat.
Palladis auſpicijs animos extollite; lauros
Iàm vobis plauſu mellea ſecla vouent.
Præſulis eximia meritos dum laude tryumphos
Voluitis; en veſtrum voluitur orbe decus.

Ad ſtudioſam Seminarij Genuenſis Iuuentutem

REVER. AMBROSII OLIVERII

EPIGRAMMA.

HEſperidum celebrata diù iàm prata ſileſcant,
Tollere vernantes deſinat Hybla roſas.
Jàm taceat roſeos nilotica terra decores,
Deliciasq; ſui Tempea rura ſoli.
Quas dederant alijs priſcorum ſecula, laudes
Debentur campis, docta iuuenta, tuis.
Quæ ſemel æterno floreſcunt Lilia vere,
Auricomas ſeruant tempus in omne iubas.
Ergò agite, ò Iuuenes, durantia nectite ſerta,
Perpetuum hinc vobis munus honoris erit.
AEternum veſtri durabunt lumina Phœbi:
Quot dabitis flores, tot dabit ille faces.

Ad

Ad ſtudioſos Seminarij Alumnos

EPIGRAMMA

D. THOMÆ SPINVLÆ
Illuſtriſsimi D. Iuliani.

DEſeruit cultas iàm ſegnis auena nouales;
Infelix lolium non ſata læta necat.

Ruſcula iàm ſubigunt meliores veſtra Coloni;
Terraq; iàm cultu nobiliore nitet.

Culta ſalutari colluſtrat lumine Phœbus:
Fertile fœcundat Lympha benigna ſolum.

Pinguibus increſcunt Cerealia munera campis;
Fœnore cum magno luxuriantur opes.

Floribus halat humus, flaueſcit frugibus aruum;
Currite meſſores; meſsis opima vocat.

Ad ſtudioſos Seminarij Adoleſcentes

EPIGRAMMA REV. IVLII GRENI.

Finge, cohors ſtudioſa, fauos: en Lilia florent,
Vnde fluunt magnæ, quas populere, dapes.

Talibus Eous non habitat hortus alumnis:
Non legit Aſſyrius, non legit Hybla pares.

Langueſcunt alij morituro lumine flores:
Sole Oriente virent: Sole cadente cadunt.

Lethales alios proculcant ætheris iræ:
Torridus vrit, aqua deficiente, calor.

Non hæc liuentes patiuntur Lilia noctes,
Inuida non tacito demetit vngue dies.

Æternum ros iſta fouet: dat lumina Phœbus
Æterna: æternum confabricetis opus.

LILIATVM VIRIDARIVM

Eminentiſsimo Principi

STEPHANO

CARDINALI DVRATIO,

ET

ARCHIPRAESVLI

A IANVENSI CLERICORVM SEMINARIO

Excultum.


QVIA FOVET
Cæsar Baſſanus F.

EMINENTISS.mo ET REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI

D. STEPHANO DVRATIO

CLERICORVM SEMINARIVM

Septimo Idus Ianuarij Inuiſenti

GRATVLATIO.

Quaſi Sol refulgens in Templo Dei.
Eccl. 50. 7.

SI quantum ſplendoris, Eminentiſſime Princeps dicam, an Parens? hodierna luce ex iucundiſſimo conſpectu tuo nobis affulſit, qui ægri, ac penè depoſiti iacebamus; tantum mihi facultatis ad dicendum ſuppeteret, qui ne primum quidem eloquentiæ Tyrocinium adhùc depoſui: profectò in his temporis anguſtijs debitas tibi gratias agere, heroicas tuas virtutes, quæ non tàm exornan-

tis,

tis, quàm indicantis munus expoſcunt, ſua quippè luce refulgentes, ſi non viuis, veris certè orationis pigmentis exprimere me poſſe non deſperarem. Atqui fulgor iſte quem robuſtioris eloquentiæ Oratorem de editiore loco perorantem non deturbaret? quam vel acutiſſimæ mentis aciem non perſtringeret? quam exercitam facundiam, omniq; benedicendi copia inſtructam non penitùs obrueret? mearum quidem virium obiecta tenuitas efferentis ſe ſe animi vota reprimeret in hac tàm celebri frequentia; tanta verò maieſtas non corporis, ſed mentis oculos hebetaret, niſi incredibilis humanitas tanti Archipræſulis candida benignitatis nube, quaſi velum obtendens, in tanto Sereniſſimæ huius Ciuitatis gaudio, noſtrique potiſſimùm Collegij plauſu me ad gratiarum munus excitaret. Facit etiam mihi animum, quòd olim magno contigit Demoſtheni, quem cum radius Solaris fortè diſſerentem tetigiſſet: Bonum Omen, exclamauit, Athenienſes, Radius enim Solaris me tetigit; me quoque ſiquidem tangit radius Solaris, nobiliſſimi Auditores; cuius fulgoris auxilio mihi animus demittendus non videtur, li-

cet

cet non ſim opportunus Orator ad gratias agendas tanto Principi, & Archipræſuli, (quamquam ò) ſed præſtat, vt videamur ſupra ætatem, ſupra vires animum geſſiſſe, quàm ingrato ſilentio, quæ diſſimulari non poterant, ſuppreſſiſſe; cum præſertim noſtram excuſaturus ſit infantiam Eminentiſſimus Cardinalis, qui animi noſtri propenſionem, noſtramq; in ſe nouit obſeruantiam non vulgarem. Tumebat nimiùm inuictus ille Orientis victor, qui alto ſupercilio cauerat, ne quis ſe Pictor præter Apellem pingere, aut præter Lyſippum Statuarius effingere auderet. Non induit hunc tumentem faſtum moderatiſſimus, ſi quis alius, STEPHANVS DVRATIVS; Cedit hoc prætereà in eius non è triuio laudem, quòd ijs meritis eniteſcit, quibus non niſi lectiſſimorum Oratorum par eſſe poſſit lumen Orationis. Tu DEVS O. M. clariſſime fons lucis, & ſol ipſius Solis radijs tuæ Sapientiæ affulgentibus omnes ignorantiæ meæ offuſas tenebras diſcute, & effice, vt ne huius noui Solis iubar imbecillum ingenij mei acumen fulgore micanti prorsùs retundat, ſed digna literarum ſtudioſo, digna Seminarij

Alum-

Alumno, digna ornatiſſimis viris, ac religioſiſſimis Patribus, tanto autem Archiepiſcopo ſi minùs digna, non indigna certè contingat gratulatio. Si quid improuidus offendero, & modeſtiæ tuæ, moderatiſsime Princeps, minùs pepercero, qui nunquàm niſi coactus, ſolemni optimorum virorum more, laudes tuas, licet meritis multò inferiores, audire voluiſti: Obſecro te prò tua incredibili in nos humanitate, vt mihi hunc condones errorem, tuæ potiùs præclariſsimæ luci, quàm tenebris meis tribuendum. Nec verò mihi ſuccenſendum putes, Cardinalis Ampliſsime, quòd lucem, & ſolem tàm ſepè te appellem, cum in veteri

Eccl. 50. v. 7. & Matth. 5.

Teſtamento Spiritus Sanctus Sacerdotes magnos, quaſi Solem; Et in nouo Chriſtus, animarum Antiſtites, Orbis terrarum lucem vocet apertiſsimè. Et quandò in mera verſamur luce, huius Solis iucundiſsimum, puriſsimumq; nitorem contemplemur priùs; deinde ardorem; poſtremò efficacitatem ipſius, tanquam Solis in Templo Dei refulgentis. Hic enim non tàm ab Illuſtriſsima familia tot Heroum parente fœcundiſsima, non tàm à fortunæ bonis, quibus DVRATIANA Domus, ſi

qua

quà alia in hac inclyta Ciuitate ſempèr præluxit; non tàm à togis Senatorijs, quibus Cęlites prę cæteris illam mirificè cohoneſtarunt, non tàm ab Auo, & à Patre purpuratis, qui ſumma cum animi moderatione fortunatiſsimam REMPVBLICAM GENVENSEM moderati ſunt, non tàm a SERENISSIMI IO: BAPTISTAE DVRATII ſumma virtute, ſummaq; felicitate excelſam hanc Ciuitatem hoc ipſo tempore regentis, cuius laudes ampliſſimas perfectiſsimis Oratoribus exponendas relinquo, quàm à virtute, quàm ab animi candore, quàm à primo, puriſsimoq; fonte lucis, lucem mutuatur ſuam. Luna, & reliqua ſydera fœneratitium ſplendorem Soli acceptum referant, Sol enim à ſolo rerum omnium Architecto mutuum ſe accipere profitetur: Vanitatis non ferendæ nunquàm non putauit Eminentiſsimus iſte Pater purpuratus alienis ornamentis ſe inſignem oſtentare, cum propria ſuppetant, illisq; multò maiora, quibus maximè illuſtreris, *nec ſanè multum ſplendoris, ſi tuam non habes, aliena efficit claritudo, nec pater format ingenuum, ſed mens generoſa.* Et quandò cum ætatis incrementis Boet. lib. 3. proſa 6 & met. 6.
C ipſius

ipſius lux mirificè excreuit, cum eiſdem mea quoque progredi deberet Oratio. Verùm enim verò ſi recenſere ſingula velimus, Auditores, de tanto Archipræſule, quem dicendi finem reperiamus? non morabor hìc igitur in commemorando STEPHANI adoleſcentis ingenio, atque indole, quæ perindè, ac Sol adhùc dubius, cum roſeo vultu luſtraturus terræ molem, abeunte nocte, dies appetit, futuræ lucis ſpem denunciauit vberrimam; nihil enim niſi cum pietate coniunctum, nihil niſi cum maxima animi moderatione, modeſtiaq;; nihil deniq; niſi quod aureos mores præſeferret in eiuſdem adoleſcentis, vel dictis, vel factis elucebat, & difficiliùs ab honeſtate, quàm Sol à curſu ſuo, auerti poterat, quod olìm Pyrrhus de Fabricio prædicauit. Iàm tùm omnes virtutes de Principatu certare videbantur, & ſingulæ victoriam deportabant. Hìnc ad maxima quæque natus, & qualis, quantusq; futurus eſſet, veluti ex crepuſculo dies, ex vere meſsis prædicebatur. Nec ſanè ſpes illos fallere poterat, quippè degeneres animos non affert is, ad quem optimi mores hæreditario iure tranſmiſsi ſunt. Neq; verò inter maxima

eiuſdem

eiuſdem præconia benè moratam iuuentutem connumerabo, in qua, rebus humanis valere iuſſis, ità egregiè liberalibus diſciplinis operam dedit, vt omnes bonæ artes in ſingulos diſpertitæ in vnum STEPHANVM videantur coaluiſſe, adiuncto etiam diuinarum ornamento. Quid de conſtantiori ætate, quam Romæ in alma Curia, procul à patria, à domo, à parentũ ſuauiſſimo amplexu abdicatus per medias ſupremæ illius aulæ laudationes tranſegit? Dies me deficiat, Auditores, ſi hæc perſequi velim, non dicam exornando, ſed enumerando. Ad maiora nos inuitat diuini huius iubar Solis. Cum enim Summus ille, ac Prudentiſſimus Pontifex VRBANVS, huius nominis Octauus, in iucundiſſimam hanc lucem oculos conuertiſſet, doctrinæ cum vitæ ſanctimonia coniunctæ ſplendorem demiratus, licèt annum quadragenarium ne attigiſſet quidem, in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium, in ampliſſimum non Vrbis, ſed Orbis Senatum, cunctis applaudentibus, cooptauit. Viderat illum, ceù alterum Fabium temperantia, Curium frugalitate, Xenocratem conſtantia, Scipionem prudentia, Cæſarem clementia;

Imò etiam multis partibus maiorem. Viderat perpetuam eiuſdem vigilantiam, & ſingularem illius prouidentiam; cum in ſummis rei frumentariæ difficultatibus, quibus Italia ferè omnis premebatur, incredibilem Commeatuum affluentiam STEPHANI DVRATII annonæ Præfecti diligẽtia intra Romanæ Vrbis Pomęriũ comportatã demiratus eſt. Crediderim ego per illum miſerrimum Italiæ ſtatum vigilantiam tanti Præſulis probari Deum voluiſſe, atq; ità eius virtuti materiem, campumq;, cum aduerſa magnos probent Viros, præbuiſſe. Viderat in ærarij præfectura mirum quendam æris contemptorem, omni cupiditate ſuperiorem: Et proindè ampliſſima quaq; dignitate digniſſimum, qui ſuis animi motibus tàm diuinos frenos induere didiciſſet. Tantum verò fulgorem in vnius vrbis finibus nolens concludi, ſed per ceteras quoque terræ orbis Ciuitates cupiens diffundi, vt huius beneficio fruerentur, eodem ferè temporis momento Ferrariæ Legatum declarauit. Quam ſanè lucem quanta cum animi iucunditate ſuſpexerint Ferrarienſes, teſtes illæ ſint voces, quæ aureum verè ſeculum Ferrariæ contigiſſe, & nullam candidio-

didiorem diem multos iàm annos illuxiſſe clamitabant. Teſtes ſint illi paruuli, qui Te fama cognitum, de facie etiàm cognoſcere, cupiebant. Teſtes ſint iuuenes, ſenes, qui ad conſpectum tuum, perindè, ac cœci, & valetudinarij ad ſalutem, ſanitatemque accurrentes, admiratione ſtupefacti conſiſtebant, quos nec valetudo, nec ſexus, quominùs inſolito ſpectaculo oculos paſcerent, retardauit. Teſtes ſint oppletæ vndiq; viæ, anguſtusq; trames tibi relictus prætereunti; alacris hìnc, atq; indè populus exultabundus, ingentes gaudij, lætitiæque præferens ſignificationes; non minùs, ac homines, cum Solem denſis obductum nubibus per plures dies latitantem non aſpexerunt; non ſecùs, ac ingenui liberi, cum parentem aliquot poſt annis vident incolumem in patriam remeantem. Teſtes deniq; ſint illæ lacrymæ, quæ è Ferrarienſium genis fluminis inſtar proſiluerunt, dum tantum è ſuo climate iubar, legatione iàm obita, abiturum ſuſpicabantur. Vos appello arbitros huiuſce veritatis, qui Romam ſupplices equis ad celeritatem commutatis, vt Ferrarienſis Legatio tàm luculentèr, tàm ſolicitè, tàm iuſtè,

tàm clementèr adminiſtrata ad multos annos Eminentiſſimo Cardinali DVRATIO prorogaretur, aduolaſtis. Viderant illum omnium oculis ipſo ſtatìm initio ſuæ adminiſtrationis clarum quidem, ſed in dies meliorem, clarioremque illuxiſſe; Solis inſtar, qui cum ſit ſemper idem, incrementa facit admirabilia, vſque dùm perfectam, ſummamq; circuli ſui altitudinem pertingat. Quorsùm plura? eius diſceſſu Eclipſim perpetuam ne paterentur, timebant omnes. Quæ verò egregia facinora Ferrariæ ediderit tàm breui annorum circuitu, ne longior, quàm par eſt, excurrat oratio, non recenſebo. Hoc tantum ſit ſatis dicere, moles Eridano appoſitas perpetuam ſui architecti memoriam ætati poſteræ tranſmiſſuras; ſed reuerentiùs fuerit, quæ in illius Ciuitatis fecerit vtilitatem, integra, illibataq; eius cogitationibus reſeruari. Ad maiora mea feſtinat Oratio. Tantæ lucis, Auditores, radijs excitatus Summus Pontifex, tanto prudentiæ moderamine delectatus, ſub idem ferè tempus Archiepiſcopum Ianuenſem conſtituit; quamuis more maiorum, ac piorum Patrum non Epiſcopatum requirentem, ſed penè reijcientem; neq; per potentes Principum

com-

commendationes, neq; per eblandita ſuffragia, ſed per ingenitas virtutes, & præſtantiſſimum vitæ ſplendorem ſibi viam ad tot, tantasq; amplitudines munientem. Rem totam diligentèr ad calculos reuocanti, videor mihi videre dignitates ſingulas, tanquàm in comitium veniſſe, vt vnanimi ipſarum ſuffragatione in Republ. Chriſtiana magnis honoribus (vtinam ſupremis aliquandò) illum condecorarent. Quid prætereà Beatiſſimus ille Pater dignitate Deo proximus, poteſtate ſupremus mortalium ampliſſimum, veriſſimumq; teſtimonium dedit huiuſce rei, dum ad Sereniſſimam Rempublicam Genuenſem litteras dedit eximiarum STEPHANI DVRATII virtutum luculentiſſimum argumentum complectentes. Hìnc nullum eſt flumen ingenij, nulla dicendi facultas, quæ voluptatem poſſit explicare, qua noſtrum omnium pectora cumulata ſunt, cum increbuit inter tot Patres, non minùs virtutibus claros, quàm natalibus, vnum STEPHANVM DVRATIVM Sanctæ Eccleſiæ Ianuenſi, Illuſtriſſimo DOMINICO DE MARINIS, iucundiſſimæ recordationis Antiſtite, qui proximè defunctus fuerat, orbatæ, ſponſum,

Paſtorem, ac Parentem obtigiſſe, ex cuius Oriente Sole ſpem concipiebant omnes, offuſas, ſi quæ eſſent, caligines, breui diſcutiendas; religionem alicubi viribus exhauſtam reparandam; omnia ad æuum illud antiquiſſimum reuocanda. Quare nihil longius nobis videbatur, quàm vt tandèm aliquandò ſuauiſſimo aſpectu noui Archipræſulis, qui pietatem ſpirat admirabilem, perfrui liceret. Hìnc vox vna omnium erat: O eluceat illa dies, qua humaniſſimus Antiſtes tandiù expectatus præſens paſcat, foueat, nutriat ſuæ lucis puriſſimo radio, quos abſens ſpe anteà paſcebat. Nec ſanè ille ſuæ ſponſæ, ſuorumq; ciuium charitate allectus quidpiam intentatum omittebat, vt tàm pij voti compotes fierent quamprimùm. Ferrarienſium voces illum retinebant, Auditores, Genuenſium deſideria euocabant: Ferrariæ gemitus remorabantur: Patriæ incitamenta ſtimulos addebant. Tàm afflictis Italiæ rebus non ità facilè Summus Pontifex diſceſſum concedebat, ſed tandèm votis noſtris annuit æternus ille, qui ab æterno Sanctæ Eccleſiæ Ianuenſi Ciuem ſuum deſtinarat. Quocircà nil mirum eſt, Eminentiſſime Princeps, ſi

No-

Nobiliſſimi Oratores inclytæ huius Ciuitatis, mãdante Sereniſs. Senatu, extra vrbẽ longè tibi obuiam prodierunt nouæ lucis radijs gratulaturi; nil mirum eſt, ſi compita, ſi plateæ, ſi fora cernebantur referta ſpectatoribus; In tectis ne vnus quidem vacans locus, niſi qui veſtigium caperet inſtabile, ac ſuſpenſum. Nil mirum, ſi viri Eccleſiaſtici lætabundi laudes Deo pro tuo optatiſsimo aduentu concinentes lætitia geſtiebant; Nos præſertìm, qui non ſecùs, ac peregrinantes patriam, nautæ portum, bellatores victoriam, iucundiſſimum tuum aſpectum præſtolabamur. Et profectò, ſi rutilis euectùm quadrigis nitidiſsimum ſuper montium ſupercilia Solem exorientem volucres in procerarum arborum culminibus accinentes, quæ nocte latuere per nemora, modulatis certant vocibus conſalutare; ſi cuncta, quæ Cœli ambitus continet, exhilarantur, dum eadem Phœbea lampas promicat; ſi clara ambulant læti mortales in luce, quid nos facere oportebat, qui iamdudùm in exteris, remotiſq; Chriſtiani Orbis partibus commorantis Antiſtitis noſtri lucem non intuebamur? Cur Parenti amantiſsimo, & Paſtori animarum vigilantiſsimo,

cun-

cuncti Ciues non applauderent? ipſius aduentu non lætarentur? non deniq; triumpharent? Cur iſti adoleſcentium Cœtus, tamquam Olores quidam cœleſtes, quorum dulcedine perſonat eloquentiæ regia, non in arborum cacumine, ſed in faſtigio ingenij conſidentes, tuarum virtutum concentus non concelebrarent? tantum ſplendorem tibi, Sereniſsimæq; Reipublicæ non gratularentur? Cur non etiam ego, licet non Cycnus, nec facundus Orator, ſed tanquam raucus inter olores anſer, obſtreperem, & læticiæ ſigna, qua pectus exuberat, exteriùs etiam quoquo modo poſſem, non oſtentarem? Atqui non lucem tantummodò, ſed virtutem quandam caloris eximiam ſoli à DEO inſitam eſſe, nemo eſt, arbitror, ſub Sole, qui ignoret, vel non experiatur. Quæ quidem res, vt meliùs intelligatur, Obſecro vos, Auditores, vt mihi detis aures, animumq; carptim, breuiterq; de calore diſſerenti. Sub Ecliptica Planetarum Principem conſtitutum per circulum illum duodenis diſtinctum animalium figuris gradatim Gigantis inſtar, incedentem breui tempore mecum intuemini. Videte illum à ſummo Oriente indefeſſo curſu rapi, excurrere

ad extremum Orientem; atq; indè ad dexteram Cœli regionem reuolutum, obliquè per aſtra recurrere tanta cum feſtinatione, vt immenſum Cœli ſpatium, gyrumq; ſingulis momentis conficiat, & ambiat. Nunc ſublimis ſe ſe nobis oſtendit, mox ſub pedibus ab oculis noſtris oblitteſcit, oppoſitas nobis terræ, atq; aeris regiones ſuo fulgore, & calore perluſtrans. Torridam ſecat Zonam perpetuo Sole rubentem. Duas tangit, quas temperato calore rebus omnibus vberrimas efficit. Poſtremas neq; tangit, neq; videt. Hinc frigidiſsimæ, infeſto rigore incultæ; æterno gelu deſertæ à plerisq; ſunt exiſtimatæ; nihil enim ſine calore conſiſtit, nihil naſcitur, adoleſcit, effloreſcit nihil. Agite nunc, Auditores, perpendite mecum qualis ardor in Eminentiſsimo STEPHANO DVRATIO, quaſi nouo Sole, eluceat, ardeat, deflagret; perpendite inſignem charitatis feruorem, ſine qua nihil omnibus numeris abſolutum, nihil diuinæ voluntati gratum, nihil æterna gloria dignum effici poteſt. Quapropter iure, ac merito æri ſonanti, tinnienti Cymbalo ab Apoſtolo Gentium æquiparantur, qui nobili licet genere Clariſsimi, & 1.Cor.13

hu-

humanis inſignes virtutibus in Dei Eccleſia, veluti in quodam Cœlo promicarent illi quidem, ſed Charitatis flamma non conflagrarent. Atq; hìc, Auditores, ſe ſe mihi campus aperiret ampliſſimus, vbi nullo labore poſſem per alias innumerabiles euagari animi dotes (omnium enim chorus ſplendidiſſimus virtutum, veluti minora ſydera, in tanto Antiſtite effulget) niſi temporis anguſtijs coarctarer, & ſuperuacaneum putarem, omnia eius ornamenta in medium proferre; cum charitatem collaudauero omnium parentem, nobiliſſimamq; educatricem, omnia me complexum eſſe iudicabo.

Hic itaq; charitatis ardor in te, Eminentiſſime Princeps, (minora veris dicam; mihi enim timendum eſt, ne plura eloquar quàm tua ferat voluntas) cùm ſemper emicuit in adoleſcentis adhùc ætatis flore, cùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ nondùm nomen dederas; tùm iuuentæ incendijs, cùm in biuio poſitus virtutis, tanquam nouus arbiter, non corporis illecebris, vt effœminatus ille Paris, ſed Palladi, virtutiq. maiorum veſtigijs adhæreſcendo, aureũ pomum, ideſt totum te tradidiſti; neq. ad Syreneos voluptatum ſcopulos, vt plerique (proh

cala-

calamitatē ſanguineis lacrymis deplorandam!) adhæſiſti. Tùm præſertìm, cùm Archiepiſcopus Genuenſis declaratus, nullum lapidem non mouiſti, vt per Summum Pontificem tibi liceret glorioſiſſima Legatione Ferrarienſi iàm perfuncto, imò ne perfuncto quidem, Te conferre quàm primùm ad eam Spartam, quæ Tibi ſupremi numinis inſtinctu contigerat, curandam dicam, an ornandam? Quò ſimul, ac peruenit, Auditores, Boni Superi! quos labores non ſuſcepit? quibus vigilijs pepercit? quas difficultates non exſuperauit, vt cunctis non præluceret ſolùm, ſed (quod caput eſt) diuina amoris face omnes inflammaret, atq. ad ęternam Dei bonitatem, qui Charitas eſt, excitaret? Ad vos mea conuertitur Oratio, Religioſiſsimi Patres, qui comites, qui oculati teſtes vidiſtis eximiam eius flammam in Prouincia Genuenſi tàm ardua, tàm prærupta, tàm montuoſa perluſtranda. Vos iterùm appello teſtes, qui pecunias in pauperum ſinus liberalitèr effuſas, Sacras ædes ruinam minitantes reſtauratas: nouas in montibus erectas aſpexiſtis: concionibus ad Populum frequentèr habitis interfuiſtis: confeſsiones pauperrimi cuiuſq. illo

man-

mandante excepiſtis: Sacram Synaxim, maiori dicam animi gaudio, an pietatis ardore? innumeris penè diſtributam ſpectauiſtis. Sed quorsùm plura? adeò Illuſtria ſunt, & peruagata, quæ ibi geſsit, vt lucernam, quod aiunt, in mero meridie accendat, qui ſingula velit oratione magìs illuſtrare. Sed quid appello homines teſtes? Ipſæ montium aſperitates, Humaniſsime Archipræſul, in quibus officioſæ tuæ pietatis trophæa in omne tempus apparebunt, teſtes erunt tuorum egregiorum facinorum locupletiſsimi. Veniet tempus, cum à poſteris impreſſa tua veſtigia iu ſummis montium ſupercilijs monſtrabuntur, non ad exigui prædicationem temporis, ſed ad memoriam ætatis poſteræ ſempiternam. Veniet tempus, quo tui ſucceſſores videre geſtient, quas peragraueris ſolitudines: quos ignotos tentaueris colles: quas inuias rupes ſuperaueris: quos ancipites viarum flexus retexeris: quos dubios montium anfractus adiueris: quas valles explicaueris: quæ frugalia prandia te exceperint: quæ deniq; tuguria pauperum Sacerdotum ampliſsimus Hoſpes impleueris; vt paulò antè ipſi Tibi nobiliſsimi illius Spinoleæ familiæ

miliæ ornamenti, HORATII SPINVLAE, calentia adhùc veſtigia multis in locis indicabantur. Verùm enim verò, quid opus eſt tuæ ardentis charitatis exempla foris aſſumere, cum Domi noſtræ ſuppetant cumulatiſsimè? Vìx enim officij cauſa, iuſtiq. officij authoramento GENVAM reuerſum te inuiſimus, cùm oculorum pupillam tuorum hunc adoleſcentium Cœtum in ſortem Domini vocatum perhumanitèr admiſiſti, excepiſti, compellaſti. Dexteram adiutricem huic daturum te ſpopondiſti; hac mente, animoq; à Ferrarienſi Legatione in Patriam remeaſſe, vt viuarum huic plantarum Seminario, diuinis oculis ſummoperè grato, opem, auxiliumq; ferres; quò tùm literis, tùm moribus Chriſtiano, religioſoq; homine dignis imbueretur. Quis plura auſus fuiſſet optare, quamuis in appetendo immodeſtiſsimus? Charitatis flamma, Auditores, non his beneficentiæ finibus continetur, ſed longè, latèq. diffuſa, perindè, ac ignis, creſcit in immenſum. Septimo Idus Ianuarij hùc ſe venturum vltrò pollicitus, eccè hac ipſa luce, qua nulla felicior multis ab hìnc annis nobis illuxit, fidem præſtat, Auditores, in auditum agens de ſe ipſo

trium-

triumphum; Rigente Cœlo, maximo imbre è Cęlo profluente, Eminentiſſimus Cardinalis, nō rogatus, ſed ſolis diuinæ flāmæ ſtimulis adactus hoc Ephebium, vbi adoleſcentium excoluntur ingenia, inuiſere ſibi indecorum non iudicauit. O diem albo lapillo, gemmaq; ſignandam! O lucem, quæ tenebras non aeris, ſed mentis noſtræ diſcuſsit, qua hi parietes, licèt obſcuriſsimi, magìs viſi ſunt eniteſcere, quàm quouis auro! O auream diuino amore incenſi pectoris in tanta amplitudine, & felicitate mediocritatem! O cœleſtem animi feruorem non ardori ſolari conferendum ſolùm, ſed præferendum! *O quantæ virtutis eſt cum felicitate luctari, nec felicitate vinci, ſed ipſam vincere felicitatem!* Hìc ſi mihi tria eſſent corda, vt de Ennio mendax fabulabatur antiquitas, quod Grecè, Latinè, & Oſcè eloqui didicerat, ne ſatis quidèm mihi viderentur adhoc egregium, piumq; facinus dignè cogitandum, ne dicam verbis illuſtrandum. Hùc, hùc, ſtudioſiſsimi Adoleſcentes, omnes ingenij veſtri vires, omnes acutæ mentis neruos intendite, omnes vigilatarum noctium conferte labores, nec de veſtrarum elucubrationum perennitate

D. Aug ſerm. 13. de verbis Domini.

ſoli-

ſoliciti ſitis; tàm diuinam virtutem, non minùs habituram admirationis, quàm gloriæ, ab omni interitu vindicabit poſteritas. Herculis labores: mendaces Liberi triumphos: aliaq; innumera veterum fabularum argumenta celebranda ſuſcipiant alij. Magni illius Alexandri, & Cæſaris victorias innumerabiles, Plutarchi, Curtij, Appiani, cęteriq; Chronologi commendent æternitati. Pompeij moderationem, liberalitatemq; diuinis encomijs efferant alij, qui poſt debellatos Aſiaticos hoſtes, multa Sapientum Lycea, tùm Rhodi, tùm Athenis inuiſerit, non pauca illis talenta dilargitus. Vos autem Eminentiſſimi STEPHANI DVRATII victoriam multis partibus illorum victorijs, ac triumphis diuiniorem prædicate; in monumentis enim veſtris nullum apparebit veſtigium falſitatis, aut aſſentationis, ſed clariſſimum veritatis ſpecimen, cum Spiritus Sanctus, qui non niſi veritatem ſpirat, animum ſui *ipſius victorem vrbium expugnatore multò fortiorem compellet*. Fuerit etiam Pompeius vir excellens, & Princeps Vrbis; Tu excellentior Princeps Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Orbis. Ille oſtentationis cauſa celeberrimos inuiſit Prou.16 v. 31.

Philoſophorum; Tu, charitatis ergò rudem adhuc iuuentutem. Ille diſputationis acumine allectus; Tu diuini amoris flamma excitatus. Ille opimis hoſtium ſpolijs refertus Rhodum venit; Tu Ferrarienſis Legationis integerrimè actæ, & confectæ laude cumulatus, optatiſſimo præſentiæ tuæ aſpectu Genuenſe dignaris Seminarium. Ille, vt mortalem gloriam ad ſequeretur; Tu vt eandem conculcares. Ille nobili indole multa viris doctis talenta largitus; Tu pari, aut potius nobiliori de bibliotheca Lugduno afferenda, deq; propria domo, adhoc Seminarij opus firmiùs ſtabiliendum, emenda, verè Te dignam cogitationem ſuſcepiſti. O Præſulem itaque, quò digniorem, eò etiam admirabiliorem Pompeio! Quem, vt A-
2.Cor.5. poſtoli Pauli verbis vtar, *Chriſti Charitas vrget;* Quem iucundiſſimum illud acroama: *Paſce oues*
Ioan:21. *meas, paſce agnos meos*, non gloriolæ cupiditas, non noſtra dicendi iucunditas, non ſapientiæ fama, non diſputandi ſubtilitas inuitauit.

O STEPHANVM, verè STEPHANVM, Præſulum ſcilicet coronam, & regio virtutum agmine, charitatis præſertìm diademate, coronatum! O Antiſtitem non lucentem ſolùm, ſed veræ

pie-

pietatis incendio conflagrantem!

Iam verò huius Solis efficacitatem breuiſſimè perpendite, Auditores, quæ poſtrema pars erat huiuſce meæ orationis. Gaudetis Nobiliſs. GENVENSES, nouam faciẽ Eccleſijs reſtitutam? Reſtituit STEPHANVS DVRATIVS. Gaudetis tot errorum caligines offuſas noua luce diſiectas? Diſiecit Stephanus Duratius. Gaudetis tot diſſidia, ſimultatesq; inter priuatos patricios ęquiſſimo iure ſublatas? Suſtulit Stephanus Duratius. Admiramini tot homines in ſcelerum voragines temerè abeuntes, ad optimos mores, quà precibus, quà minis, quà cohortationibus reuocatos? Reuocauit Stephanus Duratius. Admiramini in priuatis domibus honeſtatem: in Clericis diſciplinam: in Sanctimonialium Cœnobijs ſanctitatem: in legibus æquitatem: in moribus obſeruantiam: in curia integritatem? Hæc omnia fecit idem Stephanus Duratius. Obſtupeſcitis hæc exigua tecta ſumma luce irradiari! Irradiauit præclariſſima lux Stephani Duratij, cuius candidiſſimus animus omni purpura multò ſpecioſior, vt de cunctis optimè mereatur, multò meliùs, quàm sol ad omniũ vtilitatem fulgẽs in Cęlo, nihil vſquam inexpertũ relinquit.

Gaude, gaude itaq; Eccleſia Ianucuſis: tui enim Syri, tui Romuli, tui Salomones, tui Felices, tui Horatij Spinolæ, tui tibi Antiſtites in vno Stephano Duratio reuiuiſcunt. Gaude; nam tibi cœleſtis iubar ſolis eluxit, cuius diuina face prælucente, inter tot fluctus humanæ huius nauigationis, cœliq; minas, ad æternæ ſalutis ſtationem felicitèr peruenire iàm poteris. Hanc ſpem de Te concipimus omnes, Cardinalis Ampliſsime; In hanc ſpē non dubiam nos etiam adducunt terni illi flores aurei, qui in gētilitio tuo Stēmate ſpectantur: multòq; veriùs de Te, quā de Romano illo Marcello, licet concinere:


Virg. ÆEn 6. *Tu DVRATVS eris; manibus date Lilia plenis.*

Perge itaq; vt cępiſti, vigilantiſsime Archipręſul (perges profectò;) Sol .n. nunquàm conſiſtit: atq; hoc in primìs Clericorum Seminarium, vbi sacra hæc iuuentus ad Dęmonū phalanges profligandas, tùm moribus, tùm literis obarmatur, complectere, foue, tuere tāquàm expreſſam virtutum panopliam. Deſideraret hic locus sūmas eloquentiæ vires, vt omnes oratorij pigmenti myrothecia in rebus tuis pręclarè geſtis: in hac præſertìm hodierna tui ipſius victoria exornanda effunderem, abſumeremq;. Atqui iàm video

mo-

modeſtiſſimum animum tuum ad hæc pauca encomia multo rubore, & pudore ſuffundi, cum nihil vnquàm tibi fuerit antiquius, quàm vt omnia Diuinæ Maieſtati, non tibi, accepta referres, ſolem imitando, ſumma cum celeritate, ſed non minori ſilentio, opus ſuum vrgentem: neq; verborum fuco, ſed factorum luce te patefacere sẽpèr voluiſti. Vtinam tibi pares pro meritis in nos tuis, gratias agere poſſemus, Cardinalis Ampliſſime; noſtra ſiquidẽ paupertas nullam ſuggerit referendi facultatem; neque prętantiſſimus ille Planeta vllam deſiderat à terris remunerandi vicem. Quandò igitur tanto oneri impares nos eſſe ſentimus, perpetuas habebimus, ſummũq; Architectum, reliquosq; Cœlites obteſtabimur, vt diutiſſimè nobis te ſeruet incolumem: quam diuinitùs auſpicatus es, in dies magìs fortunet Prouinciam: quaſq; non poſſumus nùnc tibi referre gratias, multos poſt annos, cùm naturę cõceſſeris, perſoluat ipſe Deus in cęlis sẽpiternas. Votis noſtris annuat interìm, vt ſcilicet pręclaris veſtigijs tuis inſiſtentes, debellatis vitiorum monſtris, in æthereo Capitolio triumphum agamus olìm glorioſum. *Dicebam*

Hilarius Gnecus Rectoris ex fratre nepos.



In primo Ianuæ aditu

Πρόγραμμα.

Ad Gaudia, Ciues, ad gaudia;
Æternam ſperate ſalutem:
Aurea Lilia vobis cœlitùs demiſſa,
Spe ingentia, re maiora;
Nullis ſentibus rigentia albicant,
Nõ genuino lacte Iunonis, ſed niueo probitatis
& puritatis candore.
Candentia ſerta contexite multò roſis
ſuauiora.
Horror Liliorum nullus, qui manum deterreat;
Qui verò alliciat, decor plurimus.
Liliata mens, Liliata oratio, cuncta Liliata.
Nullum monile hoc ſpecioſius;
Nihil hac Liliorum varietate diſtinctius.
Erecti ſtipites ſydera ſuſpectantes
rectam mentis intentionem
quàm benè indicant!

Hi regij flores virtutum verè regiarum,
Aureus hìc nitor diuinæ ſapientiæ
perſpicua documenta.
Rigentem brumam noſtra non metuunt Lilia,
Perpetuo virtutum virore vernantia.
Liuorem iàm promeretur noſtra felicitas;
Nulla tamen erit, quæ ſpes tantas decerpat,
inuidia.
Vos ò felices, quibus talia Lilia Domi florent!
Ad Gaudia, Ciues, ad Gaudia.

FLORES PEGASEI

A Reuer. Io: Baptiſta Azario in eodem Seminario Promagiſtro Eminentiſs. Cardinali contexti.

Apollo, & Muſarum Chorus.

Vernat, io, Diuæ, vernat; rediuiua decoris Intempeſtiui veris deſcriptio.
Rebus adeſt ſpecies, Zephyri deuecta quadrigis.
Ridet, io, tellus, Brumæ quæ pigra rigore:
Implumes Laniata genas; detonſa capillos:
Luminibus viduata ſuis; nudata colore:
Squallida membra tegens; nupèr tumulata niuali
Marmore, defunctos lugebat veris alumnos;
Nùnc reduces miratur opes: crinita ſuperbit
Vertice cæſaries centenis compta pyropis,
Vndè ſibi roſeis ſpecioſa monilia gemmis
Nectit, & attonito cultus depurpurat oſtro.
Gaudet, io, cælum: mæſto modò tegmine vultus
Velatum, ſolis nitidos lacrymabat honores.
Nùnc nouus aurato laſciuit in æthere fulgor:
Phœbus

Phœbus & ignifluam protendens lampada terris,
Inſolito ſpargit roſeos adamante iugales.
Ludit, io, Tyrrhena Thetis, quæ montibus olim
AEquoreis rursùm Cœlo meditata Gigantum
Bella, tumeſcentes tollebat in æthera moles.
Iàm frontem demiſſa feram, vultumq; ſerena,
Cœruleis ſociata choris laſciuit in vndis.
Quantus, io, lætis Ligurum conuentus in aruis!
Quantus, io, pulſat fulgentia ſydera plauſus!
En ridet ſine nube dies, laxantur vbiq;
Lætitijs iàm fræna nouis: nitet vndiq; riſus.
Nympharum modò turba frequens reuocata Fauoni
Murmure, cum Satyris gemini iuga florida Iani
Luſtrat, & humano choreas ſub lumine ducunt.
En quibus exhilarant almis concentibus auras
Aſſuetæ fluuijs volucres, quibus antra boatu
Reſponſant reſono, nemorumq; arbuſta virentum
Flamine mota leui muſas meditantur agreſtes!
Hìc lætus prædulce vocans ver Paſtor ab vlmo,
Dulciſonum ſuſpendit ebur, de flore corollas
Texit odoratas, ſolemnia dona Neæræ.
Ver ciuis proclamat ouans, & voce ſalutat
Tergemina; feriata cohors per compita luſu
Felicem teſtata diem, venerabile nomen
In Cœlum STEPHANI *vario modulamine tollit.*
Hìc

Hìc inter Charites Cycnorum turba profuſas,
Fundit Hyantei diuinas nectaris vndas.
Vosnè inter fauſtæ communia gaudia lucis,
Pierides, ſine voce diù, ſine pectine, Pindi
Antra per, & latebras requie torpetis inerti?
Pectora pulſat amor deſertas linquere rupes,
Linquere Permeſſum, ſitientes linquere fontes,
Et fortunatos Ligurum conſcendere colles.
Hùc nos Flora vocat; Hìc nos viridaria, Diuæ,
Nobiliora manent: Parnaſſia linquite ſaxa.
Hos lucos habitare iuuet, iuuet hiſce morari
Delicijs nemorum, leni quà murmure ripas
Hortorum propter dilabitur vnda Biſamnis.
Diuitias hic Flora ſuas, hìc munera veris,
Hìc ſpecies, hìc vernat honos, riſusque, lepoſque.
His decus Heſperidum cedit; His Theſſala Tempe:
Baiarum colles, & ruſcula amœna Tarenti.
Nulla per æſtatem feruenti ſydera crine
Camporum torrent viridantia ſtrata comantum.
Non frigus, non bruma furit, Boreæq; rigentis
Non ſæui extinguunt vernantia lumina flatus.
Hìc rubra perpetuo floreſcunt Lilia vere,
Lilia, diuini quorum fragrantia odoris
Terrarum, Pontiq; replens, cœliq; meatus,
Transuolat extremum Tanaim, rupesq; niualis
Emathiæ

Emathiæ, Thracaſq; feros, & inhoſpita Thules
Littora, caucaſeaſq; niues, duroſq; Sicambros.
Tantus odor penetrat, reſono quà gurgite Memphis
Lugentes depotat aquas; quà lambit Hydaſpes.
Flamina tantorum redolentia ſenſit odorum,
Quem lauat Euphratis ſecreta ab origine riuus;
Quiq; perurentes Lybiæ deculcat arenas,
Auroræ thalami, refluiq; cubilia Phœbi.
Iàmq; ſuas ſilet Indus opes; iàm vilia ridet
Munera thuris Arabs; Panchæia cynnama ſordent.
Quid ceſſas generoſa cohors, germana Gigantum
Progenies, DVRATA *modis aptare Trophæa?*
Nonnè Aganippæi patuiſſe liquamina fontis
Præſtiterat, Pindiq; ſacros reſerare receſſus,
Vndè immortali ſacrantur nomina famæ?
Mille ciere ſonos, & mille ſonantia plectra:
Millenas inflare tubas, & carmina mille
Pangere, Stephaneos milleno ferre triumphos
Ore, repercuſſum colles, nemoroſa iugorum
Teſqua melos decuit bombo retuliſſe iocoſo.
Incipe: nàmq; nouus Ligurum tibi regnat Apollo,
Regnat, & Aonio dum proluis ora liquore,
Infuſus per membra, loqui dabit ore rotundo.
Ergò age, purpureos albentibus inſere flores;
Inſere; Purpureum tales decuere colores.

Calliope

CALLIOPE.

S.

Sol Gregis.

S *olari viuunt animantia cuncta vigore;*
T *ellus indè viret, crinitur frondibus arbos,*
E *licit herba dapes. Gregibus ſua pabula Paſtor*
P *urpureus dat grata ſuis. Si fulgida rebus*
H *auritur Phœbi lampas; quam pulchra ſequuntur*
A *ſtra Ducē; quo Lympha nitet, rubet æther, & atra*
N *ubila diſsiliunt. Hic pectora format honore*
V *irtutum, reprimitq; nefas. Sol orbis ocellus?*
S *e ſolē STEPHANVS, ſeq; omnibus omnia præbet.*

Muſarum Chorus.

Semper, io, tanti fulgeſcite lumina ſolis,
Clareſcant veſtra climata cuncta face.

Clio

CLIO.

T

Temperantia.

S *e ſolem* STEPHANVS, *ſeq; omnibus omnia præbet,*
T *emperat ad pacem dùm benè fila Lyræ.*
E *docta, iuſtis præmia lancibus*
P *endit labori, diſcit inertiam*
H *inc meritis cohibere pœnis*
A *ſtræa. nullis fontibus æquora:*
N *ullis tumeſcit Præſul honoribus,*
V *anidulum refugit dum benè mente decus.*
S *æpiùs oſtrigero torquetur fulgare fulmen.*

Muſarum Chorus.

Sempèr, io, maculis Phœbus ſibi temperet atris;
Orbis vt addiſcat fræna tenere ſui.

Erato

ERATO.

E

Eloquentia.

S *æpius oſtrigero torquetur fulgure fulmen.*
T *alis facundia linguæ*
E *loquij miros emodulata ſonos*
P *ectora cæca ferit.*
H *umano prædita more*
A *ttonitos reprimunt liuentia monſtra furores,*
N *ullaq; cerberei gutturis ira fremit.*
V *iuos imitantia ſenſus*
S *axa ſtupore replet.*

Muſarum Chorus.

Sempèr, io, geminent facundæ fulmina linguæ,
Perſonet vt toto clarus in orbe ſonus.

Thalia

THALIA.

P

Pietas.

S *Axa ſtupore replet,*

T *ot dum mirantur honores*

E *micat vnde Pius.*

P *erſonet æternùm geminæ prudentia frontis:*

H *erculeum Nemees ſylua celebret opus:*

A *urea Syracidis vigeat ſapientia legis:*

N *ec ſileat Graij fama vetuſta Ducis.*

V *eri ſed Principis vnum*

S *it decus, eſſe pium.*

Muſarum Chorus.

Sempér, io, tanti pietatis creſcite fontes,

Totus ad optatas currat vt orbis aquas.

Terpſi-

TERPSICORE.

H

Humilitas.

S *it decus eſſe pium: pietatis pondera veræ*
T *urgida corda premunt.*
E *micat exteriùs roſeis fulgoribus oſtrum,*
P *ungit quæ latitat ſpinea cura roſis.*
H *umanus honos fit mentis onus.*
A *ltior humani tranſcendit nomen honoris,*
N *umine diuino dùm ſtudet eſſe minor.*
V *entorum rabies, nimboſaq; confremat arctos,*
S *æuientes ridet iras fixa quercus ætheris.*

Muſarum Chorus.

Semper, io, ſurgat radicibus arbor ab imis,
Fronde tegat mundum, ſydera fronte premat.

MELPOMENE

A

Amor in Deum.

S *æuientes ridet iras fixa quercus ætheris:*

T *emnit hoſtis Hic ſuperno toſtus igne ſpicula.*

Æ *ſtuantes cordis æſtus flamma pandit purpura.*

P *urpuratos pingit artus, corda feruor incremat.*

H *aurit intùs hinc rogales, hinc roſales flammulas.*

A *rdet ignis hinc amoris, hinc honoris purpurat.*

N *ectit oſtrum fœderata, nectit ardor vincula.*

V *nde muricis colores, hinc caloris fulgura.*

S *pernit ignes, ſpernit vndas dia flamma lubricas.*

Muſarum Chorus.

Semper, io, dia ferueſcite pectora flamma;
Tantus mortales compleat igne calor.

Euter-

EVTERPE.

N

Norma Gregis.

S pernit ignes, ſpernit vndas tuta Cymba feruidas.
T anto ſub Principe, frænat
E xpertus, ſydere certo,
P alinurus carbaſa vitæ
H umano turgida flatu,
A pplicat optatis & vaga ligna plagis.
N ubila Dedaleis dum peruolat ardua pennis,
V irtutem medio ſectatus tramite ueram,
S candit ad æthereas, hoc Duce, quisq; domos.

Muſarum Chorus.

Semper, io, miſeris fulgeſcite ſydera nautis,
Se regat ad veſtras terra, fretumq; faces.

POLYHYMNIA.

N

Vera virtutis via.

S candit ad æthereas, hoc Duce, quiſq; domos:
T uta per errores fili dum tramite cæcos,
E xplicat atro carcere corda.
P ræuia præbet nempè columna,
H orrida tetri teſqua per orbis
A ditus timidis greſsibus amplos.
N ubes per tenebras lucem paritura diei,
V eſtigia Cælica pandit,
S iſtat vt in tuto lubrica planta ſolo.

Muſarum Chorus.

Semper, io, maneant rectæ veſtigia plantæ:
Dirigat, hac, greſſus Orbis vterq;, Duce.

Vranie

VRANIE.

S

Sal Terræ.

S iſtat vt in tuto lubrica planta ſolo,
T e face, Præſul, te ſale, Præſul,
E mergunt ſalebræ: cadit ignorantia cæcis.
P aſcis amore Gregem, doctrinæ animosq; ſapore;
H amat odor mentes, quo tuus halat honos;
A mentes ſanas, neſcia corda ſalis.
N on mala peſtis oues torquet, dum pendet ab ore
V ita, ſalusq; gregis, ſtatq; vigetq;, velut
S olari viuunt animantia cuncta vigore.

Muſarum Chorus.

Sempèr, io, Ligures ſeruent ſale pectora tanto:
Cælica vaneſcat ſerus in aſtra ſapor.

APOLLO.

PArcite; non veſtræ ſunt hæc miracula mentis.
Viſne Dea tenui grandia ferre chely?

Quis valeat rutilo ſuperaddere lumina cælo?
Non face Phœbus eget, non cupit Indus opes.

Quò magè promanat viuo de gurgite lympha:
Maior inexhauſtis vnda redundat aquis.

Parcite labilibus volitare per æthera pennis:
Ne noua tyrrhenis nomina dentur aquis.

Non ego muſarum, non carminis author Apollo
Auſim per tantum pandere vela ſalum.

Nomina vix Stephani clauduntur margine mundi:
Humanis virtus altior aſtra ferit.

Laus erit ipſe ſui: ſatis eſt voluiſſe: ſilete:
Quam nemo celebret, laus erit ipſe ſui.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Lilia in gentilitio ſtemmate Cardinalis.

EPIGRAMMA.

EN tria, puniceis hyperionis æmula labris
Lilia, DVRATVM *nomen odore replent.*
En tria regali frontem variata decore,
Lilia, Duratum nomen honore replent.
Cælica non alijs viridaria floribus halant:
Murice non alio pulcher Apollo nitet.
Conſimili crinita micat vaga Cynthia flore:
Sic aurora rubet, ſic rubet alma Venus.
Indè ſibi gratos haurit cæleſtis odores
Iuppiter, ambroſias & legit indè dapes.
Vndiq; perpetua floreſcite Lilia fronde:
Deliciæq; virum, deliciæq; Deum.

Eiuſdem de eodem.

Lilia aurea cum Apibus.

DIALOGISMVS.

Ligurinus. Mycron.

Lig. *DIuino albeſcant, Mycron, cum cætera lacte:*
Cur mea purpureo Lilia crine rubent?

Myc. *An quia perpetuo luſtrantur lumine Phœbi,*
Puniceum potant Muricis indè decus?

Lig. *Falleris: albenti dum florent compta metallo,*
Candida Romanæ pocula rentur APES.
Hæc velut ambroſio complerunt, vaſcula, rore;
Hinc mea purpureus Lilia veſtit honor.

Myc. *Aſsyrias iàm temne dapes: iàm temne Sabæas:*
Quos dat Hymettus olẽs, quosq; dat Hybla fauos.
Hi tibi diuino manabunt nectare flores.
Felix, cui LATIÆ mellificatis, APES!

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Flores apparuerunt in terra noſtra. Cant. 2. v. 12.

DIALOGISMVS.

Dameta. Mopſus.

Dam. *MOpſe, cernis? an retrorſum*
Cardo rerum vertitur?
Incaleſcunt en niualis
Cani capri cornua.
Friget albor: feruet ardor:
Vda tellus æſtuat.
Aura ſæuit: aura lenit:
Rorat æther aureus.
Sæuientis nocte Lunæ
Verna fulgent lumina.
Bruma luget: Flora ridet:
Grata nectunt fœdera.
Mop. *Cerno: noſtris nempè campis*
Germinarunt Lilia.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Diœceſis Lilia cupit Duratiana.

Fulcite me floribus, quia amore langueo.
Cant. cap. 2. v. 5.

FLore meas fulcite genas; fulcite decore
Veris: odoratus ſis mihi, Flora, torus.
Tempeſtas pæſtana mihi det fulcra roſarum:
Murice ſed latitant ſpicula: nolo roſas.
Naribus inſpirent blandum violaria flamen;
Mox languent violæ; languidus abſit odor.
Alba liguſtra ferant niueis mihi crinibus vmbras;
Alba liguſtra cadunt: tam breue nolo decus.
Labra meis coniunge labris, Hyacinthe; ſed acres
Te zephyri violant: oſcula nolo tua.
Lambe meum, Narciſſe, caput; te diligis ipſum:
Cedat amor proprius; mutua tæda placet.
Hei mihi quale petam blandi lenimen amoris?
Suſtineant artus qualia fulcra meos?
Tu mihi Liligerum præbe fulcimina germen,
Scilicet igneſcit pectus amore tui.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

GENETHLIACON.

Daphnis, Menalcas, Felix.

M. *HIccinè tu Felix, ſecluſis pectore curis,*
Dũ pecus in ſtabulis depaſtas ruminat herbas:
Dum tellus ridet; ridet polus; æquora rident;
Dum cantus meditatur auis; nemus omne cicadis
Conſtrepit; & ſpirant tremula de fronde ſuſurri;
Lenta per herboſum proſtratus membra cubile,
Mulcentes captas zephyris clementibus auras,
Murmur & ad lymphæ concludis lumina ſomno?
Paſcendi nos cura gregis; nos cura tuendi
Vrit, & in ſeptis claudendi cura fatigat.
Nunc tondere pecus; nunc vellera tonſa lauare:
Nunc mulgere capras, & lac denſare recoctum
Vimine oportet: ouis teneros, & ab vbere fœtus
Pellere, & ingratam cogor deducere in vrbem.
Nulla in luce quies; per noctem nulla ſoporis
Munera. Perditius nihil eſt ſub ſole Bubulco.
Itq; reditq; viam totiès; & ſemper agendo
Nil vnquàm peragit, ſemper pannoſus, & æger.
Res ſibi nulla, labor ſterilis, vacat ære crumena;
Inq; diem vitam degit, velut ales, egenam,

Dum

Dum nihil è tanto manat ſudore lucelli,
O miſer! infelix, ò ſemper vita Menalcæ!
Felix, dum ſemper felix, tibi nomina certè
Non malè conueniunt, vrgent nos vſq; labores.
Fel. *Quid faciam? redeunt, abeunt ſua tempora rebus.*
Curua, (vides?) calidi iàm feruent brachia cancri:
Iàm ſitiunt fontes: ſitientes ſyrius ardor
Findit agros: terram pluuiæ fruſtrantur hiantem.
Turba Bubulcorum ſtudia in diuerſa recedit:
Illaqueare feras hic retibus: ille volucres
Improuidas pedicis, lento viſcoq; morari;
Hic gaudet piſces mentitis fallere prædis.
Scrutatur nidos alter, iungitq; cicutas.
Fraga legunt alij; nuda certantq; palæſtra.
Me iuuat intereà, pecudes dum caula coercet,
Fronde ſub ilicea grato indulgere ſopori.
Sed tibi quo pectus curarum fluctuat æſtu?
Quæ torquent animum furiæ? qui inſanus habendi
Angit amor mentem? votis quibus aſtra fatigas?
Linquere uisnè animam, demens, dulcemq; Neærã?
Inuida non paritèr fortunant fata; nec omnes
Sors eadem ſequitur; non contigit omnibus æqua
Conditio. Regit hic ciues, vrbesq; verendo
Comprimit imperio; hic populis dat iura ſubactis.
Iſte magiſtratus exambit, & ille ſecures:

Alter faſce tumet; tyrio nitet alter honore;
Celſus & in ſumma ſpeculæ ſupereminet arce.
Cætera gens paret, varioq; exercita quæſtu,
Comparat aut manibus victum, mentisuè labore.
Nos ſeruile genus, genus intractabile vulgi,
Nosq; gregum Dominis natos ſeruire memento.
Mitte famem numi: fauſta lætare quiete;
Si quid habes oci, ſatis eſt apponere lucro.
Dic, quid opes proſint, paruo ſi vita beatè
Ducitur, & diues nullus, qui pauper in auro eſt?
Inuidioſa nitent noſtris non atria ſyluis;
Diuitiæ, veſtes tyriæ, pretioſa ſupellex.
At ſitis, atq; fames, at bella, pericula, cædes,
At metus aſper abeſt, nec mordet pectora liuor.
Diues, cui modicum ſatis eſt habuiſſe, Menalca;
Quis Paſtore fuit modico felicior vnquam,
De grege cui paruo, de paruo ruris agello,
Pauperibus fumant terreſtria prandia menſis?
Viue igitur lætus; mærentes expue nubes.
Et tibi quando vacat, quando eſt tibi tempus inane,
His mecum gelidis paulùm requieſce ſub vmbris:
Men. *Dj te fortunent Felix; tu ſemper amicis*
Solaris dictis animos: nebuloſa ſerenas,
Conſilioq; iuuas trepidantia corda fideli.
His ego mærorem abijcio; ſua robora firmis

Pecto-

Pectoribus redeunt; nec me depœnitet imo
Defluxiſſe loco, quando iam uiuere noui
Migdonijs opibus, lydoq; beatior auro.
Ergo age, quæ, medio flammas iaculatus ab axe
Otia ſuppeditat Phœbus, ſumamus honeſto
Carminis in ſtudio. Ludit tibi caſtalis unda:
Seu ſit opus cantu reſonare Licoridos ignes:
Seu labris animare tubas, te doctior uno
Fiſtulicen nullus noſtris in montibus errat.
Fel. Florebam tanto uirtutis honore, Menalca,
Dum facies roſeo fulgebat flore iuuentæ,
Robur & integrum iuuenilia membra fouebant.
Tum mea laudis amor, decorisq; accenſa cupido
Pectora torquebat, ſtimulisq; urgebat acutis.
Nunc mihi uox languet; languent in corpore uires,
Et calor ex imis deceſsit penè medullis.
Cantibus abſtineo: calamo compeſco labellum.
Vos decet hæc, iuuenes, præſens quibus auctore Apollo
Sufficit æthereo faciles in carmine uenas.
Incipe: namq; ſoles uario iuga concita cantu
Flectere, & ad luſum Faunosq;, ferasq; ciere.
Incipe; dic carmen, dic quæ miracula nobis
Daphnide uitalis ſubituro luminis auras
Fatidici cecinere cycni uentura per orbem.
Hæc te Silenum uinclis ducuiſſe ſubactum
Fama

Fama eſt : hæc eadem memini te dicere quondam.
Men. *Incipiam. Diuæ Cyrrhæi culminis ora*
Pandite, tanta noui natalia pectine Phœbi
Concelebrate nouo; recinat cantantibus Echo.
Cernitis, ut quondam cultu renouata recenti
Vndiq; plaudat humus? noua munera pparet? almas
Larga refundat opes? mille hinc gemmata colores
Spargat, & inde decus, uiderunt quale priores,
Aurea qui quondam uixerunt ſecula: quale
Vere ſub æterno felicibus emicat hortis?
Cernitis, ut niueis uolitet Concordia bigis
Paciferam teſtata fidem: teſtata quietem
Pacis in aduentu? Pacem iàm ſidera clamant:
AEquora conclamant pacem: mundiq; receſſus.
Quàcumq; illa leui tranſcurrit poplite, ſæuis
Miteſcit rabies animis, deferuet atrocis
Mauortis furialis amor, furialis Enyo.
Nec ferus armorum ſonitus, clangorq; tubarum
Auribus obſtrepitat. Cerealia munera campis
Aurea largifluo diffundit copia cornu.
Fœcundus Phœbo Liber: uos rura Bifrontis
Florida, uos alpes Ligurum ſpirantis odores,
Hybla dedit quales nunquam, nec terra ſabæa:
Non opulentus Arabs, nabathæaq; regna tulere.
Iactabit non Indus opes, opobalſama, coſtum,

Cynna-

Cynnama, nec nardos, nec odoriferam panaceam.
Tu mare, tuq; polus, tuq; aura fauonia, tuq;
Aſtrorum ſedes, dabitis quæ gaudia? Tutus
Flamine ridenti volitabit in æquore nauta.
Oceanus rerum fractas laxabit habenas:
Orbis vterq; ſimul connectent fœdera, ſigna
Vltima non poterunt Ligures cohibere Columbos.
Prodiga felici ditabunt ſydera fluxu
Ianigenas, meliore polus fulgebit amictu;
Et ros vberibus ſtillabit ab æthere gemmis.
Cynthius ipſe nouo crines redimitus honore
Mortales oculos iucunda luce iuuabit.
Ecce tibi ex utero natus iam prodijt infans.
Vos ite ò Ligurum Paſtores, ite Bubulci:
Pallentes uiolas, roſeosq; intexite flores;
Fundite narciſſos: calathis date Lilia plenis.
Primaq; panchæos ſpirent cunabula odores:
Et roſa puniceum ſternat rubicunda cubile:
Plauſibus hinc Nymphæ, uolucrumq; arguta canoris
Inde cohors modulis inuitet inire ſoporem.
Auditis? teneris dum fletibus æthera pulſat,
Vagituq; ſuos, querula dum uoce Parentes,
Opplorant colles, opplorant flumina: plorat
Aura, nemus plorat, opplorant ſydera cæli.
Daphni, inter teneros puerum, belliſsime, cætus,
Grande

Grande genus, magnumq; parentibus ornamentum!
Incipe iam matri blandis alludere ocellis,
Ore ciere ſonos, & brachia parua mouere.
Ecce tibi gratus dum riſus promicat ore,
Dum lætus plaudis, frontemque decore ſerenas,
Arrident colles, arrident flumina, ridet
Aura, nemus ridet, arrident ſydera Cœli.
Daphnis paſtor erit. Paſtorum maximus, ipſe
Pingue pecus paſcet, legesque nouabit auitas
Paſcendi pecoris: quæ noxia pabula: qualis
Aura gregi noceat uentorum; qualis & unda
Pernicioſa capris: quo tempore flumine merſes:
Quo tondere licet: ſub qua regione morentur;
Quæ maciem pellant, ſanent medicamina morbos,
Paſtores Daphnis diuina lege docebit.
Daphnis adeſt: en Paſtor adeſt: gaudete Bubulci:
Plaudite Paſtores; nemorales plaudite Nymphæ;
Lætaq; Daphneum reſonate cacumina nomen.
Dulcia nectareis pingueſcunt pabula ſyluis;
Bucula florentes campos impune pererrat,
Nocte domum referens diſtentas lacte papillas:
Et geminant pecudes fœcundos ubere fœtus.
Nulla lues macerat, contagia nulla capellas:
Non timor armentum contriſtat: ouilia nulla
Inſidiæ: procul inde lupi, procul inde latrones.

Non malè ſuada fames, algor, ſitis aſpera, egeſtas
Sordida, luxuries, auri ſcelerata cupido,
Nullaq; paſtores diuexat cura peculi.
Robora nectarei diſtillant flumina mellis;
Flumina lactis eunt: exundant arua lyæo.
Omnia diuina promanant vndiq; virga:
Et meliora ferunt felices ſecula mores.
Talia diuino prædixerat omine Faunus.
Fel. *Quis poterit tantas vnquam ſuperare camænas?*
Aut calamos inflare pares? tua lingua refundit
Dulce melos: dulces meditaris arundine verſus.
Nemo tibi certet: primas tibi cedat & Orpheus,
Æthereum licet ipſe genus, adamantina quamuis
Vincula tartareæ legis defregerit; atq;
Cerbereo cytharis occluſo gutture; manes
Coniugis ad claras Cœli reuocauerit auras.
O ter felices, Felix, quibus illa nitebit
Axe dies, liceat qua duro exire labore,
Seruitioq; graui; qua libertatis honores
Aſpicere, & refluas mellis fluitare per vndas!
Sed quis (nonne audis?) circūferit æthera clamor?
Qui ſtrepitus ſyluis? reſonat latratibus aura.
An fures ouibus; lupus inſidiatur adultis?
Clamat opem ſocius, celeres ſurgamus, Amyntas.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Lilia in ſtemmate.

AUrea diuinos effundit planta liquores:
Sugite, Ianigenæ, ſugite nectar, Apes.

Nubila triſtifica caligant pectora nocte?
Propinat lætas mellea lympha dapes.

Æſtuat irarum, ſæuiq; cupidinis æſtrum?
Ambroſius ſedat turgida corda latex.

Quòd ſi torua procax obliquet lumina liuor,
Depluit è niuea ſimplicitate merum.

Syrtea congeſtum præcordia pauperat aurum?
Comprimit aurifluo floſculus imbre ſitim.

Alma beatificos inſtillant Lilia potus:
Sugite, Ianigenæ, ſugite nectar, Apes.

Eiuſdem de eodem.

Arcus triumphalis in ſtemmate Animi affectus domat.

QVis tua iam tumulet lethæus nomina liuor,
Præſul, ab inſigni, gloria rara, domo?

Qui tua non mordent animorum fræna Tyranni?
Quæ non deuinctas dant tibi monſtra manus?

Mars domitus ceſsit: ceſsit furialis enyo:
Et gerit extinctas Cypria Diua faces.

Mitia Bacchea ſubmittunt tergora tygres;
Attremit Imperium mors truculenta tuum.

Virtus ſternit iter: dignas Aſtræa curules
Aptat, & Herculeus laurea ſerta labor.

Ito: coronatus Capitolia ſcande Tonantis:
Ecce triumphalis te tua pompa vocat.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Quia Dominus ſupponit manun ſuam. Pſal. 36. v. 24.

COeperat acclinem ſubſternere ſarcina Regem:
Feſſaq; ſucciduo membra labare genu:

Suſtulit aereæ nutantia culmina molis
Alcides, tanto debita colla iugo.

Fulcit inocciduo STEPHANVS *ſua pondera tergo:*
Pondera pennigeris vel metuenda choris.

Ah non humanum facit hæc miracula robur:
Mortalis præbet non ea fulcra vigor.

Scilicet alternis recreatur viribus, vnà
Suſtinet aſtrigeri dextra Tonantis onus.

Eiuſdem de eodem.

Prudentiſsimus Princeps Aſſentatorum Lenocinia auerſatur.

VLYSSES INTER SYRENAS.

ITe Meduſcæ, mellita pericula, fraudes:
Impia diſsimulat toxica ſæpè merum.

Ite Satellitij portenta rapacia blandi:
Aurea connectent non mihi vincla pedes.

Sic mala ſpina ſolet roſeo latitare ſub oſtro:
Subdola ſic dulces tela minantur apes.

Ah quoties liquido tumulantur marmore ligna:
Blandula dum faciles pellicit aura ſinus!

Nil mihi vobiſcum: Graiorum dona timentur:
Qui benè ſic hamat: non benè ſemper amat.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Laudes Eminentiſsimi noſtri Principis.

ODE.

QVò me raptat amabilis
Enectum patrijs aura cubilibus?
Fallor; vel mihi præpete
Alarum videor remigio potens,
Purum nare per æthera.
Iàm cedunt populi, iam fugientia
Vaneſcunt oculis iuga.
Cœli iàm penitùs nubila deuij
Occludunt maris æquora.
Siſtor Pieriæ num ſuper ardua
Cyrrhæ, quà vagus accinit
Permeſſus modulis, inter & aſſonos
Ludunt barbita gurgites?
Cernis? floriferi veris imagine
Prolector: video leues
Saltare in numerum cum Satyris choros
Muſarum celebri die.

Audin? me queruli blandula pectinis
Clio luſibus increpat.
Differs fatidici pandere numinis
Interpres tripodas? iuuat
Et voce, & reſonis nunc fidibus ſacrum
Cælo tollere Principem.
Quid ceſſas Ligurem dicere vindicem
Libertatis, & otij:
Per quem templa nouis ſplendida cultibus
Fulgent; ara frequentior
Panchæo redolet munere: Iupiter
Nunquam tam docilis prece
Flecti, iam facili vota propinquiùs
Audit numine? ſcilicet
Hic dat pierij per iuga verticis
Sacrì fundere nectaris
Venas: threicijs carmina fiſtulis
Aptare, & chelyn aureo
Tentare æoliam pectine, & indere
Inflatis animas tubis.
Hic muſis Charites diſſociabili
Iungit fœdere, & impius
Dum liuor refugit, ſe reuocant tholo
Virtutum agmina ab igneo.
Torpores reſidis damnat inertiæ

Fatì

Fati non timidus labor.
Terris integritas, & pudor, & fides
Sanctos reſtituunt Auos.
Cernis queis roſei præmia luminis
Euincat meritis? inuidia decus
Vt maius populo ſegreget, Imperi
Promiſſum ſolio ſacri?
Olìm [numinibus ſic placet] Inclyta
Septem mœnia collibus
Cernent tergeminis tempora Laureis
Cinctum; poplite cernuo
Terrarum ætheréæ ſedis, & infimæ
Procumbent Stygis arbitro.
Quis tum ſepoſiti terminus ætheris:
Quæ gens, regna, vel æquora,
Quò non præpetibus fama iugalibus
Duratum decus euehat?
Noſcent multifidi culmina Caucaſi:
Noſcent littora Boſphori.
Nunc Thracæ recolent, hunc profugi Scythæ:
Gratis diſcet odoribus.
Fortunatus Arabs; diſcet & AEthiops.
Lugens æriſonis canet
Nilus marginibus; munera gemmifer
Effundet Tagus aurea.

Pro-

Proſternet geticas huic Rhodope niues:
Huic Hemus iuga thracius.
Diccetur riſcas quà vaga luminis
Thaumantis reſerat fores:
Et quà nota ſubit, dum tumulat diem,
Incunabula Cynthius.
Sic demùm indigetem cœlica flammulam
Virtus eripiet ſolo, &
Auctam purpureis Cœlicolum choris
Gentes attonitæ colent.
Quò Diua, Icarijs nomina fluctibus
Facturum rapis? abſtine
Dignis Pindarico flamine tibijs.

Eiuſdem de eodem.

LILIA INIMICA VENERI.

SAna Dionæis non feruent corda fauillis;
Cæca nec inſanum vulnera pectus alit.
Non capiunt mentem morituri veris honores:
Non malè fœmineo, quæ nitet ore, roſa.
Non rapiunt animos pellacis lumina Circes,
Subdolus è falſo dum pluit igne liquor.
Furtiuas extingue faces: en Lilia vernant,
Tela inimica tuis, ò Cytherea, roſis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Mel, & lac ſub lingua eius. Cantic. 4. v. 4.

FVndere Syracides ſtrati ſtupuere Leonis
Guttura nectareos prodigioſa fauos.

Noſtra nec inuideant portentis ſecla vetuſtis:
Principe ſub STEPHANO, *talia ſæpe vident.*

Dum gerit Hic linguam dulci pietate liquentem,
Pectoris & niueus candicat intùs honos:

Si placet ore loqui, mellita oracula fundit:
Lingua ſapit nectar, lacte labella madent.

Quis neget à STEPHANO *nunc aurea ſecula condi?*
Mellea lympha pluit: lactea lympha fluit.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

EPIGRAMMA.

Zonæ Charitum in ſtemmate.

O Qui, ſeu nitidis beatus hortis
Gaudes = Heſperidum: vel arua mauis
Baiarum coluiſſe, ſeu Tarenti,
Aut Tempe: nemorumue, colliumue
Cultu perfrueris benigniori:
Ne plaudas tumidus, ferasue frontem.
Hìc, quà mollicule ſuperba greßu
Jani pergama præfluit Biſamnis,
Florent deliciæ beatiores;
Hoc & ſub STEPHANO *ſolum remiſsis*
Fortunant Charites, beantq; Zonis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem Diœceſim
perluſtrante.

STEPHANVS DVRATIVS
Anagramma.

FAVSTVS IANVS DVRET.

ODE.

TAndem frementis murmura iurgij
Ceſſere iuſſu pacis, vt aureo
Reuecta curru, luctuoſos
Increpuit ſcelerum tumultus.
Jam non cruento Martis in agmine
Bacchatur orbis: non locus efferis
Cladum ruinis: non rapacis
Feruet amor ſceleratus auri.
Excita nigri carcere Tartari,
Noctiſq; portis Eumenidum phalanx;
Liuorq;, luctuſq;, & labores
Tenareum genus, & propago

Stygis,

Stygis, citato nigra ſilentium
    Viſere rurſum poplite limina;
        Timentq; curarum, ſerenos
            Spectra, poli violare vultus.
Jam fœderato numine Veritas,
    Fidesq; fraudis neſcia ſordidæ,
        Legesq; regnant, atq; vinclis
            Jura nefas reprimunt ahænis.
Serena rerum nunc facies nitet;
    Laſciuit æther: per iuga Fauſtitas,
        Per arua, per vrbes curuli
            Candidula volitare gaudet.
Comata culmis tempora pinguibus
    Pandit tumentes alma Ceres ſinus:
        Nutrixq; flauentes benigno
            Ditat agros opulenta cornu.
Aſtræa terris iam procul exules
    Cultus auorum reſtituit redux,
        Moresq;, uirtutumq; cœtus
            Paciferi reuehunt iugales.
Jàm pace plaudant oppida: montium
    Aprica: valles pace renideant:
        Collesq; pace, quos Iacchus
            Pampineis cohibet lupatis.

Recuſa

Recuſa uenis nobilioribus
Emergit ætas dulcior aſpici, &
Priſco illaboratum metallo
Candidior vehit annus æuum.
En lacte fontes, flumina nectare
Mellita manant: aureus irrigat
Amœna riuus, & liquore
Gemmifero lacrymatur æther.
Feſtiua rurſum Regis amabiles
Vultus auiti, Ianigenum cohors,
Mirare, falcatumq; Patrem
Ad ſocios rediiſſe faſces
Ter otiatis cum ſenibus frequens
Iuuentus omnis, non ſine nobili
Cœtu ſalutet: ter recuruis
Poplitibus recolet parentem.
Sic, dum canoro ſydera carmine
Pulſantur, Echo plauſibus aſſonet
O DVRET, *aureoq;* FAVSTVS
IANVS *oues regat vſq; ſeclo.*

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem Diœceſim perluſtrante.

DVRATIVS
ANAGRAMMA.
VT RADIVS.

FEruida dum crepitat flammarum uortice planta,
Vſtaue candenti paſcitur igne domus:
Si cadat exploſus colliſis nubibus ardor,
Extinguit noſtros cœlica flamma rogos.
Plurima acydalio feruebant corda calore,
Sperabantq; ſuis gaudia nulla malis.
Diuinam luxiſſe ſibi, reor, æthere lucem,
Dum vorat, VT RADIVS, *Præſul vbique faces.*

Eiuſdem de eodem.

Ego flos campi, & Lilium conuallium. Cant.2.v.1.

SPlendida pæſtano viridaria murice florent
Regibus: aſt humili non adeunda pede.
Culta Tarentinos pingunt violaria glebas:
Sed refugit denſis vepribus inde manus.
Delicias claudit vernas Memphiticus hortus:
Hinc niſi nobilior munera naris habet.
En ego flos campi, *patulis in vallibus halo:*
Me diues captet, meq; fruatur inops.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

In Archipræſulem Diœceſim inuiſentem

In ea verba

Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatẽ, &c.
Cant. 8. v. 7.

QVid non poſsit amor? quis robora frangat amoris?
Imperat, & nulla lege tenetur amor.
Seu petat Hircanos, ſeu cæca pericula, ſyrtes;
Sternunt ſecuras terra, fretumq; vias.
Siue Acheronthæos libeat penetrare receſſus,
Cedunt tartareæ ferrea iura domus.
Non cædes, non tela mouent, non verbera terrent;
Diſsimulant vires flamma, geluq; ſuas.
Diua fruebantur diris ſic pectora pœnis:
Talis qui roſeos ſenſit in igne toros.
Quid, ſi Paſtorem non rauca fluenta morentur?
Cedit diuinæ lympha caduca faci.

Eiuſdem de eodem.

Elegiſti tibi Lilium.

Eſd.4.c.5.v.24.

FLoret achæmenio tellus Gangetica coſt :
Perſica ſe uiolæ flore coronat humus.

Sidonium Phœnix redolentis vimen acanthi:
Tu legis hibernum, barbara Memphi, decus.

Ambitioſa fouet rorantes India myrrhas:
Purpureo ſyrius gaudet olere croco.

Littora fragrantes redolent Panchaia nardos.
Aſſyrius thymbra, thure ſuperbit Arabs.

Diues aromatico turgeſcit honore Sabæus:
Tu roſa pæſtani gloria prima iugi.

Eligis ipſe tibi tantum tua Lilia, Iane:
Hinc tibi rarus honos: hinc tibi rarus odor.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Ecloga, cui nomen Niſa.

INTERLOCVTORES.

Thyrſis. Mycron.

VNde Mycron? tam ſerùs ades? tibi gratulor, unde?
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus exul in agris Ferraria diſceſsum Em. Card. olim ſui Legati luget, lętãte Genua.
Jàm canus duo luſtra teris? tibi lumina tu[illegible].
Corpore ſollicitam langueſcit pectus in ægro:
Dic age, chare Mycron, triſtes expone dolores.
My. *Fortunet te Diua Pales, te magnus Apollo,*
Thyrſi mihi tandem longo poſt tempore viſum.
Vos patrij ſaluete lares. Nos pinguia quondam,
Quà pater Eridanus latos perlabitur agros,
Arua colebamus, dum noſtra armenta regebat
Daphnis, honos ruris; pecoris ſpes vna, ſalusq;.
Nunc, quia Daphnis abeſt, fugiũt ſimul inde bubulci:
Deſeruit ſimul arua decus, ſimul omne voluptas
Priſca nemus, cedunt Paſtores, cuncta relinquunt
Deformes penitùs ſylueſtria numina montes.
Ipſa ſimul largos vultu viduata Neæra
Daphnidis amiſsi fundit mæſtiſsima fletus.
Et ſimul arua mihi tandem meliora petuntur.

Th. Noſtris ergo potes meliùs conſiſtere ſyluis,
Et felix habitare nemus, feliciaq; arua:
Collibus his largo promanant omnia fluxu.
Comprime iàm lacrymas: defeſſo pondera collo
Depone, hìc mecum requiem captato laboris.
Nunc vacat; eſt Genio ſola indulgere cupido.
Inſidiæ pecori nunc nullæ, impunè pererrant.
Daphnis habet Niſam: lætus nunc iubilat æther:
Carmina dat Phœbus, muſæ dant carmina, datq;
Carmina magna Pales; reſonant caua robora Da-
Noſq; iuuet feſtā lucē celebrare viciſsim. (phnim.
Ergo ſi quid habes, ſi quid Thymbræus Apollo
Te docet, & veteres ludunt in carmina venæ.
Queis quondam celeres memini te ſiſtere lymphas.
Concine: funebres miteſcent pectore curæ.
Rumpe moras, cantu Daphneia feſta colamus:
Carminibus referam ſolemnia gaudia Niſæ,
Triſtia tu memora miſeræ lamenta Neæræ.
My. Caneſcant quamuis pigræ iàm damna ſenectæ
Thyrſi, mihi, vires langueſcant, frigeat ardor
Carminis, & fugiant lætos mea pectora cantus,
Incipiam tamen, & raucas inflabo cicutas:
Nemo hodie renuat calamo triuiße labellum.
Vos Phaetonteæ teſtes Nereides vndæ,
Vos teſtes nemorum frondes, vos rura, feræq;
Quæ

Quæ ſimul a tanto lacrymaſtis ſæpe dolore,
Quot gemuit curis, quantas dedit illa querelas.
Hinc aberat Daphnis: Daphnis ſua ſola voluptas.
Incipe tu, Niſæ quandò iucunda relatu
Gaudia ſunt uobis, mæſta te voce viciſsim
Mæſtus ego excipiam, & mæſtos renouabo dolores.
O ſi fagineo cælentur forte Camœnæ
Cortice, & ad magni labantur Daphnidis aures!
Th. *Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.*
Daphnis adeſt: meus ignis adeſt, mea blãda uoluptas.
Daphnis adeſt: Gaudete greges, gaudete Bubulci.
Spargite humum folijs, manibus date Lilia plenis.
Daphnis adeſt, applaude nemus; floreſcite colles.
Vos Dryades thalamos, roſeumq; aptate cubile.
Cingant ſerta comas, albos ſuperaddite flores.
Dulcis hymen clametur, hymen, hymenæe.
Sint procul hinc curæ, procul hinc ſuſpiria, mæror.
Daphni quater ſalue, ſalue mea blanda voluptas.
Aurea gratentur reducem mihi ſydera Daphnim.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. *Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.*
Daphnis abeſt, meus ardor abeſt, mea chara uoluptas.
Daphnis abeſt: lugete greges: lugete Bubulci.
Spargite humum picea, mæſtos miſcete cupreſſos.
Solue comas nemus omne nigras, lugete receſſus:

Vos Dryades feretrum, tumulumq; aptate feralẽ,
Cingat tæda rogos, atros ſuperaddite flores.
Nænia iamq; vlulet, funebri nænia cantu.
Ingeminent curæ, mæror, ſuſpiria cordis.
Daphni vale, mea cura vale, vale prima uoluptas.
Cuncta fleant, lacryment abſentẽ ſydera Daphnim.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. *Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.*
Regnat vbiq; quies, ſecura vbicumq; uoluptas.
Nil niſi dulce ſonant Paſtores, dulcia Fauni,
Dulcia fundit auis, modulantur dulcia colles,
Dulcia conualles, his dulce remurmurat Echo.
Ægris grata quies, gratus ſitientibus humor,
Grata ſalix pecori, mihi tu dulciſsime, Daphni.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. *Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.*
Feruet vbiq; labor, funduntur vbique querelæ.
Nil niſi triſte ſonant paſtores, triſtia Fauni,
Triſtia fundit auis, meditantur triſtia colles,
Triſtia conualles, his triſte remurmurat Echo.
Mæſta pererrat ouis, mæſtusq; per arua Bubulcus.
Ardor triſtis oui, mæſtis ingrata voluptas;
Morbus triſte Capris, Daphnis mihi triſtior abſens.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. *Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.*

Daphnis

Daphnis adeſt. Daphnim ueneratur florida Clorys.
Lilia diuinos effundunt aurea odores:
Hinc populantur apes læto ſua dona ſuſurro.
Myrtus olet, redolentq; thymi, redolentq; geniſtæ.
Luxuriant ſegetes campis, flaueſcit ariſtis
Plenus ager, cupidis iam parent arua colonis.
Meſſoresq; metunt magno cum fænore fruges.
Lympha ſapit nectar, dulceſcunt dira palato
Toxica, pampinea pendent de vite racemi.
Vua tumet, preſſo feruet vindemia muſto.
Tanta meus fecit præſens mihi commoda Daphnis.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. *Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.*
Daphnis abeſt; Daphnim deplorat ſquallida tellus:
Lilia funeſtos effundunt pallida odores,
Quæ circum mæſtis feruent examina bombis.
Sordet vbiq; nemus, creſcit Paliurus vbiq;
Fel ſapiunt fontes, & aceſcunt dona Lyæi.
Areſcunt ſegetes, infelix vndiq; parca
Meſſis habet lolium: ſteriles dominantur auenæ.
Feruida nec miſeri ſatiantur vota coloni.
Meſſores vacuas ſtupidi mirantur ariſtas:
Marceſcunt tenues gracili de vita racemi.
Fallitur vua mero: fallit vindemia prælum.
Abſens tanta meus peperit diſpendia Daphnis.

Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. *Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.*
Daphnis adeſt, meliore vigent virtute capellæ.
Lacte grauantur oues: ſpumant mulctralia lacte,
Vnde recens premitur toto mihi caſeus anno.
Paſcua grata greges carpunt: de gurgite lymphas
Delibant liquidas; hædus laſciuit in herba;
Felices pecudes tecum, mea gaudia, Daphni.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. *Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.*
Daphnis abeſt, macreſcit ouis, macreſcit, & agnus.
Succus abeſt peccori, fruſtrantur & ubera fœtas;
Non pariunt pecudes; aries non vellera præbet.
Deficiente vacant mihi inania Cymbia lacte;
Nec mihi vimineo denſatur caſeus orbe.
Faſtidit iam gramen ouis, faſtidit & amnem.
Grex proſtratus humi rigida langueſcit in herba.
Infauſtæ pecudes, ſine te, mea gaudia, Daphni.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. *Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.*
Daphnis adeſt, nos Daphnis amat, ſolemnia nobis
Munera dat, Calathis atque aurea Lilia plenis.
Mecum ſemper erit: felices tranſiget annos.
Tales in ſyluis geminæ ſibi grata Palumbes
Aeternis reſonent ſocialia fœdera tædis.

Tantum

Tantum ne rapiat charos Amarillis amores,
Et ſeptem donet dotales pronuba colles,
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Daphnis abeſt, heu Daphnis abit, ſua lumina Daphnis
Surripit, & vultus condit, negat aurea nobis
Lilia, & auerſus linquit mea ruſcula Daphnis.
Non mihi Daphnis erit: mæſtum mihi degitur æuū.
Qualis per tacitum turtur nemus, & conualles
Ingemit illacrymans infelices hymenæos.
Nam te fauſta meos rapuit mihi Niſa calores,
Tradidit & gemini dotalia limina Iani.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
Quiſquis amat Daphnim, Nymphæ, Pã, cãdida Nais
Hunc perament, longæua Pales, ruralis Apollo
Diligat, & votis auritus Iupiter huius
Annuat, & vultu fortunet cuncta benigno.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.
My. Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Odit qui Daphnim, Nymphæ, Pan, candida Nais,
Oderit hunc, grandæua Pales, infeſtus & illi
Cynthius, & votis det ſurdas Iupiter aures;
Cunctaq; concedat fatis rapienda malignis.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.
Th. Da-

Th. *Daphnis adeſt: quæſo vos cælica Numina, vosq;*
Quæ colitis ſyluas, & vos fluuialia Nymphæ,
Incolumem ſeruate mihi, mea gaudia, Daphnim.
Hæc nemora, hos fontes, hæc paſtoralia tecta
Semper amet mecum Daphnis coluiſſe, gregemq;
Paſcere, nec properet Mapalibus aſtra mutare.
Concine feſtiuum, mea tibia, concine carmen.

My. *Daphnis abeſt: quæſo vos cælica Numina, uosq;*
Quæ colitis ſyluas, & uos fluuialia, Nymphæ
O reducem reuocate mihi, mea gaudia, Daphnim.
O redeat precor, atq; iterum ſocialia mecum
Fœdera iungat, amat Ligurum non amplius agros.
Hæc nemora, hi fontes, hæc paſtoralia tecta
Horrida, ſi redeat Daphnis, felicia fient.
Concine funereum, mea fiſtula, concine carmen.

Th. *Iam ſatis eſt luſum, ſatis, ò; Mapalia fumant,*
Nosq; domum reuocant; labentes duplicat umbras
Heſperus. Intereà noſtris hac nocte manebis
Chare Mycron laribus, pinguẽ mactabimus hædũ,
Lætitiaq; meri releuabis pectora curis.
Cràs adeas Daphnim, Daphnis, tibi, diues agrorum
Donabit noſtris Magalia commoda ſyluis.

My. *Dũ dabit Autumnus mihi Bromiũ, Pallada frig⁹,*
Æſtas dum Cererem, dũq; aura fauonia Chlorym,
Pectoribus defixa meis tua dona manebunt.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Salus vbi multa conſilia. Prou. CXI. v. 14.

IVpiter æquoreæ iungit connubia Meti:
Sed breuis, infauſtos das, Hymenee, toros.

Deuorat, heù miſeram! crudo cum pignore matrem,
Cum iàm conceptum membra grauaret onus.

En STEPHANVS *rerum ſcrutantia pectora cauſas*
Diligit, & ſacri fœdera caſta Sophi.

His ſibi maturos fœtus de mentibus haurit:
Haurit conſilium: dogmata ſancta bibit.

Concipit hinc Præſul: concepit Iupiter inde;
O quàm progeniem non dat vterq; parem!

Hinc Pallas, Martisq; furor: pax inde, ſalusq;
Cernite, quàm STEPHANVM *plus ſit habere Patrē!*

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Abſens molem Vicario Herculi imponit.

DVm tegit Heſperio Latous in æquore currus;
Tethys & in gremio languida membra fouet;
Ne rapiat penitus mortalibus vmbra diei
Lumina: fraterno lucet ab axe Soror.
Quid Ligur illacrymas abeuntis lampade Phœbi?
Nocte diuturna ne tumulere times?
Parce metu: radios tibi Luna vicaria fundit:
Hinc benè nox clara eſt, & benè clara dies.

Iridis inſtar Trophæum victoriæ.

RAuca vbi belligeri ſiluerunt tympana Cæli,
Condidit & placidus flammea tela Polus.
Jlicet exoriens proles Thaumantis in alta
Arce, triumphatis nubibus, Jris, ouat.
Robora Tartarei ceciderunt fracta Droconis,
Janua, nulla tibi iam furit ira Jouis.
Principe ſub STEPHANO *, partis potiere triumphis:*
Jam radiant pompæ, cerne, trophæa tua.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Olympus in ſtemmate.

DEſpicit Emathius nebuloſa cacumina uertex,
Tentat & æthereum fronte ferire tholum.

Nulla ſerenatum contriſtant nubila Cælum:
Lætior hic Phœbi ridet in ore dies.

Inferiora tonant iratæ fulmina dextræ:
Sydera fortunant fulgidiora ſolum.

Hic ubi Purpureus ſua pondera ſuſtinet Atlas,
Cerne Ligur, maior non tibi deſit apex.

Impia non mentes hic excitat ira ſerenas:
Purior hic animis lux ſine nocte micat.

Scande Ligur montem: Cæli contemne furores:
Numina mortales hic propiora beant.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

In noſtrum Archipræſulem Diœceſim inuiſentem.

O D E.

QValis ſuperni nuncius arbitri,
Quem præpotentis numine dexteræ
Senſit redonantem vetuſti
Imperij decus, in tyrannum,
Captiua pubes, dùm puduit nota
Contaminari ſeruitij, & graues
Mordere frænos, ac probroſa
Immeritis iuga ferre collis:
Fulgore Præſul puniceo nitens
Gregem reuiſit; cum ſemel horrido
Ceſſante ſeclo, riſit ætas
Aurifluis rediuiua venis.
Quàm ſæpè ſolis purpureos ſui
Fleuere vultus! qua prece lumina
Oſtri cupita! queis parentem
Ianigenæ petiere votis!

Rigore

Rigore brumæ non ſecùs horrido
Obſeſſa nudis in ſtabulis pecus;
Taleſue ſuſpirant leporem
Veris, apes, Zephyriq; alumnos.
Quid mente Præſul poſsit, & aurea
Virtute; qualis numine & ingeni
Niteſcat, expertus celebret
Tybridis, Eridaniq; potor.
Quid debeas, ò IANVA, STEPHANO,
Teſtes tuorum culmina rupium
Exculta, Diuorumq; ritus
Sæpè pijs reuocatus aris.
Durata ferro pectora nobilis
Leniuit auri cultus, & efferos
Morum rigores, expulitq;
Degeneres vitiorum amores.
Terras Erynnis liquit, & impiæ
Fraudum cateruæ protinùs vltimam
Viſere Thulen, monſtra Præſul
Alite dùm pepulit ſecundo.
Non cæca fuco nectaris illita
Necem propinant toxica: non capit
Doloſa Circe; non fremiſcit
Tergeminæ rabies Chimæræ.

Riſere

Riſere colles, æther, & æquoris
Plauſere fluctus, attremuit nouo
Tyrannus umbrarum tumultu,
Talia de ſolio loquutus.

Eheù, nefandum! ſyderis impetu
Inauſpicati ludimur: heù noua
Nos fata pulſant, noſq; rursùm
Bella domant STEPHANO *imperante.*

Nunc una nigri regia Tartari
Colenda; nobis aurea luminis
Sedes negatur, nos lupatis
Herculei cohibent labores.

Videre noſtros iam videor duces
Longè ſupernis ſedibus exules,
Dum pugnat hoſtis: dum rebelles
Purpureo fugat orbe manes.

Iàm non ad imos vertere carceres
Prædas licebit: non ego lurida
Ditabo regna: non tumeſcet
Funereis Erebus trophæis.

Sæpè obligatos fraude nefaria
Subducit agnos: iam vigil impetus
Frænat latronum; iàm rapaces
Dente lupos fugitare cogit

Inane.

Inane. Sedes æthereas nenis
Fulgere cerno ſyderibus ; fidem
Redire ſynceram verendæ
Iuſtitiæ ſociam, ac pudoris.
Inferna vilis robora fregerit
Hoſtis ? Potentem ſiccine vicerit
Plutona ? Ferreiq; iura
Perdiderit violenta Ditis ?
Ahena noſtræ fræna licentiæ
Imponi inulti quid patimur ? Sed, heù !
Fato reluctatur potenti
Deliciæ STEPHANVS *Tonantis.*
Quæ bella frænent ? quis furor hoſticus
DVRATIANOS *comprimat impetus ?*
Per dura, per arcta, & labores
Gliſcit ouans, reuiretq; virtus.
Ceù qualis alto in vertice Mænali
Succenſa pinus, dum Boreæ noto
Luctante ſæuo, flamma ab ipſo
Ducit opes, animumq; flatu.
En iam triumphus, fauſtaq; priſtini
Fortuna rurſus decidit imperi.
Ceſſemus vltrò : vixq; tutas
Tartareas habitemus arces.

Eiuſdem de eodem.

Vexillum ætheris militantis in ſtemmate.

QVòd claudas amplo montiſa cacumina gyro,
Ianua, non ſatis eſt, claudis & arua ſali.

Imperij queritur fractas Neptunus habenas:
Languet & iniecta compede vincta Thetis.

Flamina clauſa fremunt: clauſus furit Æolus antris:
Contractosq; gemunt monſtra marina lacus.

Vndiq; clauſa potes mortales temnere vires:
Sola timenda patet deſuper ira Iouis.

Nec verear e Iouem: fautor tibi militat æther:
Signa pharetratus pandit amica polus.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Labia eius ſicut Lilia diſtillantia myrrham primam. Cãt. 5. v. 13.

DIALOGISMVS.

Daphnis. Menalcas.

Daph. D*Ic, Menalca, dic, odores*
Vnde tanti prodeunt?
Jnde nardus: inde amomum:
Thuris hinc ſuauitas.
Terra myrrhæ dona ſpirat:
Halat aura balſamo.
Men. *Tu nè ſolus, Daphni, cæcus?*
Tu nè ſolus aduena?
Neſcis? ore Purpurati
Tanta vis aromatum.
Si labella cernis ipſum
Liliata ſoluere,
Dic; odoram viſa florum
Flora cellam pandere.

ΘΕΩ ΑΡΙΣΤΩ ΜΕΓΥΣΤΩ.

Υπὲρ ἐξοχωτάτȣ ἀρχιερέος ἀφίξεως εὐχή.

Δεῖξον φῶς ἐρατεινὸν ὀλύμπιε νόσιμον ἦμαρ.
Λυγαῖα νέφη πάντας τείρεται δεῖξαι φάος.
Ὡ ἴκυς ἀμφίβελον διαθείει κῦμα θαλάσσης,
Ὀρφναῖος τ' ἂν ἐκ κρυπτόμενος φαέθων.
Δειλὴ ἐ δὲ πόλις λύπης ἐνδύσατ' ὀμίχλην,
Φωστὴρ ἐκλείπει ποιμένος ἠγ ἰδίȣ.
Νόσιμον οὖν φαίνοι σοῦ χαριέστατον ἄστυ,
Ἥλιος ὡς φαίνει ῥιπτομένων νεφέων.

Idem eiuſdem Latinè expreſſum.

DEO OPTIMO MAXIMO.

Pro Eminen. Archipræſulis aduentu obteſtatio.

Pande diem, Pater alme, precor, lucemq; cupitã:
Triſtia nos vrgent nubila: pande diem.
Puppis vt incertos intendit in æquore curſus,
Horrida phœbeum dum tegit vmbra iubar:
Suſtinet infauſtas mœroris IANVA nubes,
Lumine Paſtoris deficiente ſui.
Luceat ergo dies cunctæ gratiſsimus vrbi:
Vt ſol diſiectis nubibus axe micat.

IO:

IOANNIS DOMINICI ROSCELLI,
eiuſdem Seminarij alumni.

PRVDENTIAE ELOGIVM.

Eminentiſſimi D. STEPHANI Cardinalis Duratij
Eximia prudentia vocaliſſima præconis voce decantanda.
Hanc ille cum lacte ſuxit, hæc cum illo adoleuit,
& ad plurimos annos incaneſcet.
Omnia inauguratò auſpicanti nihil niſi felix, fauſtumque.
In rebus agendis facem exempli pręfert,
qui cæteris præeſt.
In auguſtali ſpecula longiùs poſita animarum pericula
porrò videt: & ne mala naſcentia ſuccreſcant,
ſtatim prouidet.
Maiorum felicitate,& fortunis ſi quis alius,magnus:
ſed ſuo conſilio, & ſapientia maior
Quantò felicitatem ſuam rectiùs nouit, tantò prudentiùs
eam ferre didicit.
Omnes cupit noſſe, ab omnibus noſci,
omnibus omnia factus.
Sapientiæ ſuæ luce ex pręteritis profutura iuxta, atque
obfutura proſpectans,
aliorum ſapientum conſilia ſuperciliosè non deſpicit.
Aſcęticis meditationibus mentem exercet,& ſe ſibi reddit,
priuſquam ad prouinciam vllam aggrediatur.
Sępius eius interrumpit ſomnos pia cogitatio,
vt dormientium animarum ſaluti conſulat.
Omnia agentem cum cõſilio nihil vnquam pœnitet feciſſe
Quocumq; fortunę diſcrimine maior, qui ex nullo,
vel tenui fortunę filo pendet
Eccleſiæ Mediolanẽſis acta relegens ſe ipſum in clariſſimo

illius lumine ſpeculatur.

Non ſecundis rebus intumeſcit, ſed idem ſemper, vt eſt, eadem manus, tam porrecta, quam compreſſa: nunquam abit a ſe ſe.

In terris pedes fixit, in Cœlis caput condidit, negotijs non ſe tradens, ſed commodans.

Statutis horis ſe ſibi furatur; vt diuino cõſortio perfruatur.

Hoc prudentiæ clypeo munitus malorum Dœmonũ tela retundit, eluditque.

Hac conſiliorum vi hominum prȩter fas, & ius viuentium vim coercet,

maiora gerens conſilijs, quam alij telis.

Hoc vnico fræno effrȩnatos homines in obedientiæ gyrum compellit.

Temeritatem hoſtem conſiliorum pernicioſiſſimũ agnoſcit: Et caſus ab Eminentiſs. STEPHANI DVRATII conſilijs procul exulat.

Nihil illi ſubitum, lentè conſulit, conſulta exequitur non cunctanter.

Facilia ȩquè, ac vtilia reſponſa in promptu habens, vtiliora in receſſu continet.

Omnia, priuſquam ſtatuat, librat; neque vnquam in illum cadit dictum illud, *non putaram*.

Infeſtas Populi partes nulla arte ſanandas ſecat neceſſariò, quæ ſanari poſſunt curat ſalubriter.

Deo.Op.Máx. innixa hȩc prudentia fertur in ſublime, nunquam flectitur ad terrena.

Summo mane proſpicit gerenda, veſpere rerum geſtarum calculum ponit.

Vt breuitèr rem dicam, in Archiepiſcopali ſpecula, veluti perpetua quadam erectæ mentis ſtatione, peruigilat, Quaſi rationem pro animabus Deo redditurus.

Eiuſdem de eodem.

Eccleſia Iannenſis Præſule Eminentiſsimo STEPHANO
Stygios impetus contemnit.

Quaſi in procella Nauis. Eccl. 33. v. 2.

FLuctuat horriſonis agitata per æquora uentis
Nauis in immenſis mox tumulanda vadis.
Firma recuruatis ſi morſibus anchora fundet,
Negligit æquoreas inuiolata minas.
En malè iactaris ſtygijs Eccleſia nimbis,
Et iàm tartareo turbine quaſſa iaces.
Quæ tibi ſpes tantis pelagi, Cæliq; procellis,
Anchora per tumidas ſi tibi deſit aquas?
Anchora non deſit, STEPHANVS *retinacula præbet,*
Hic tibi amata quies: hic tibi certa ſalus.

Arbor bona malos fructus non facit.
Emblema.

SI dulcis genitor, STEPHANVS *dulciſsima proles;*
An dulcis radix aſpera poma ferat?

Μελισσα
Ἐπιεικείας συμβολον μετ ἐπιγραφης ταυτης οὐκ ἐαν
μη προκαλέσῃ.

Κέντρα ἀδινὰ φορέουσι μελισσαι ὅταν ἔιαρος ὥρῃ,
Ἐκδρεπτονται ἀγρων ἄνθεα λειβομεναι·
Πληθομενων θηγέειν μη πειρῳ νεκταρι συμβλων,
Συμβλιδες αὐθαδέας κεντροβολουσι γλυκαι.
Ἀμβροσίην χρηστου στέρνει ἀποπνειεται ποιμην.
Πικρα βέλη ἑκὼν καὶ οὐκ ἐθέλων κραδαει.
Κεκραται ὀφειλομένην μαλλον νεκταρι δίκην,
Ὦ ἐπιεικείας ἡμετέρου νομεος δ' επι.

Idem eiuſdem Latinè expreſſum.

APIS
CLEMENTIAE SYMBOLVM:
Cum hoc adiecto lemmate,
Non niſi laceſſas.

SPicula geſtat Apis, veris dum ſedula flores
Orc legens, pictos depopulatur agros.
Tangere ne tentes diſtentas nectare cellas,
Audaces dira cuſpide pungit apis.
Nectar, & Ambroſiam miti de pectore Præſul
Spirat, & inuitus fellea tela vibrat.
Temperat ultrices pietatis nectare pœnas.
O clemens noſtri Principis ingenium!

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

STEPHANVS DVRATIVS.

Anagramma.

FONS VITREVS DATVS.

S*Iccine, Ianigenæ, riuos haurire paluſtres?*
Turbida cœnoſo gurgite lympha fluit.
Fons vitreus datus *eſt: latices hinc ſumite puros:*
Purior é nullis fontibus vnda venit.
Hùc properet diues, properet cum diuite pauper;
Currat ad optatas ſummus, & imus aquas.
Talis ab humano non manat flumine lympha,
Hæc animi ſedat corporis, illa ſitim.

Riſus Olympi in ſtemmate Cardinalis.

B*Acchatur alibi turbidi lues cæli.*
Sæuis feruntur cuncta flatibus lethi:
Furorq; Martis exteris tonat terris.
Faces Apollo mergit; excitus nubes
Neptunus undis territat, flagellumq;
Bellona quaſſat. STEPHANVS *imperat Cælo?*
En uſquè læt us ridet hìc polus nobis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

STEPHANVS DVRATIVS.

Anagramma.

TV NATVS DEVS PACIS.

PHæbeis diſiecta cadunt iuga nubila telis,
Et fugiunt tanta contremefacta face.
Exoriente nouo furialia monſtra decore,
Tænareæ repetunt antra profana domus.
Anguicoma illuuies proles ſcelerata Charontis,
Cedit, & infernæ ſtant adamante fores.
Sanguinolenta ſilet poſito Bellona flagello,
Palladis armiſonæ conticuere minæ.
Candida Martigenas ſedat concordia clades:
Deſeruit Stygius pectora cæca furor.
Pacis amica quies pacata regnat in Vrbe
Cordaq; Theſæo fœdere iungit amor.
Nuncia iam taceat pacis Cyllenia proles:
TV PACIS NATVS pellere monſtra DEVS.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

In noſtrum Archipræſulem Prouinciam inuiſentem.

ODE ALLEGORICA.

IAmdiù vanis ſatiata dumis,
Iane, felicis, tibi, more ſæcli,
Aureo cultu iuga Purpuratus
Paſtor amœnat.
Funditùs latis mala ferrearum
Deperit campis ſegetum propago:
Imperant agris meliora tandem
Semina cultis.
Terra fœcundis redimita plantis
Pulcriùs ridet: nemus omne feſta
Fronde crinitur: per amœna ludunt
Prata iuuenci.
Veris æterni redeunt honores
Collibus: flauent ſata læta culmis,
Vnde deuincant opulenta pingues
Horrea meſſes.

Illices

Ilices grato redolent amomo:
Lacte diſtillant tiliæ: lyæo
Depluunt quercus: caua melle pinus:
Nectare laurus.
Otium ſyluæ peramant: agellos
Nullus infeſtat timor, aut ouile:
Nec pecus ſæuos timidum ferarum
Attremit vngues.
Inde Balatus reſonant tenelli:
Inde laſciuit caper, inde campos
Buculæ curſant, nimioq; tendunt
Vbera lacte.
Nunc iuuat feſſos temerè bubulcos
Ad caput ſacri iacuiſſe fontis,
Quà ſuſurranti fugiunt loquaci
Poplite lymphæ.
Hìc, roſas inter, vaga purpurantes
Gemmeos imbres, apis ore libat,
Vnde diteſcant ſua dulciori
Nectare regna.
Populi hìc umbræ capiunt, cicadis
Sylua dum circum ſtrepit otioſis
Hìc ſoporatas Zephyrorum amicas
Aura quietes.

Hìc,

Hìc per herboſos choreas, decentes
Sæpius ducunt, thalamos, ſorores,
Sæpe fortunant & amica Zonis
Rura remiſsis.
Blanduli Tempe noua dum leporis
Hìc virent, linquunt Helicona diuæ:
Hìc Meduſæi peramant liquoris
Pandere fontes.
Plauſibus circum nemoroſa lætis
Antra Nympharum reboant canentum,
Dum legunt flores, roſeisq; texunt
Lilia ſertis.
O ſalus (audin?) columenq; rerum,
Vnicum terram decus, ò beati
Conditor oti docilis vocari
Pacis alumnus.
Sis quater fœlix, quater, & perennè
Viue flos ſeros Ligurum per annos:
Vocibus firma accinuere nentes
Stamina Parcæ.

IO: BAPTISTÆ ZINI.
eiuſdem Seminarij Alumni.

IVSTITIAE, ET CLEMENTIAE
Elogium.

Eminentiſſimum STEPHANVM Cardinalē Duratium,
Duratianæ domus mitiſſimam prolem
Neſcia flecti iuſtitia eximiè clarum facit,
Clementiæ inſigne multò clariorem.
Infauſtæ crudelitatis victimas nunquam litauit,
Qui pietati ſolùm in omni vita parentauit.
Nunquam oblitus ſe hominem, qui diuinitùs datus eſt,
vt hominibus præeſſet.
Ad præmia feſtino gradu properat, lento ad ſupplicia.
DEI OPTIMI MAXIMI veſtigia ſectatus
Perſonas non accipit, locis priùs proſpiciens,
quam perſonis.
Non conſanguinitatem, ſed matrem nouit æquitatem.
Supplicia, quæ poteſt, condonat, quæ minùs,
attemperat.
Non inexorabilis Iudex, ſed immanium ſcelerum
vindex
Eò clementior, & humanior, quò felicior
Ad vitiorum exitum, non ad vitioſorum exitium aſpirat,
qui in alienis miſerijs ex animo
ſuſpirat.
Nunquam viſus ira efferueſcere, niſi ſcelerum
indignitate commotus,

Quibus

quibus cum bellum gerit implacabile.
Obedientiam DEO, ſibi ſanctimoniam; egenis opem;
ſubiectis cuſtodiam; Ciuibus concordiam,
delinquentibus miſericordiam profitetur.
Propriam negligit vtilitatem, vt communem
ſeruet æquitatem.
A grege ſibi credito exoptat timeri; ſed multò plùs diligi:
moribus obſequium magis docendo,
quàm legibus.
Sic, dum Principem ſe cogitat, Patrem non ignorat;
non omnia facilè credit, nec omnibus,
ſed delationes cunctas, tamquam
aurificis trutina examinat.
Statuarum, & fumoſarum imaginum non oſtentator,
Sed auitæ clementiæ, paternæq; iuſtitiæ
ęmulator, & imitator.
Nunquam in morte ſe inclementem Principem
dolebit fuiſſe; in vita perpetuò lenis,
ac ſemper placabilis.
Si quando negata ſit STEPHANO DVRATIO benefaciendi poteſtas, mirabitur olim ſera poſteritas, nulli
negatam fuiſſe eius comitatem,
nulli humanitatem.
Durabunt hęc iuſtiſſimi, & clemētiſſimi Principis exempla,
dum terræ orbis durabit,
Redactoq; vniuerſo Orbe in cinerem,
Cœlo viuent, æternitati
commendata.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Inter noſtrum Archipræſulem, & Herculem collatio.

HErculeæ famæ ſileat miracula mundus,
Inuictæ ſileant & monumenta manus.

En noua fama refert iterum miracla, labore
Vincitur Herculeus nobiliore labor.

Contudit Alcides colubros, toruosq; leones:
Sternit auernales ſed tua dextra feras.

Ille feram Lernæ domuit, vigilemq; Draconem,
Crimina Tu Præſul, monſtra nefanda, domas:

Cerbereo cuſtode ſtygem ſpoliauerat ille:
Quot Præſul prædas Ditis ab ore rapis?

Ille triumphatis exauxit ſydera monſtris:
Cœlicolis ditas tu ſacra regna nouis.

Alcidem ſuperis priſcorum fabula miſcet;
Qui beat at verè Te ſuper aſtra vocat.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Atlas Mundum ſuſtinens

In Eminentiſſimum STEPHANVM Duratium
S. R. E. Cardinalem

LABOR GLORIÆ PARENS.

EMBLEMA.

Corporis immenſis pollebat viribus Atlas,
Fertur & aereum ſuſtinuiſſe polum.

Clarior aſt animi STEPHANVS virtutibus orbem
Illo, ceu firmus cardo, labante regit.

Jnde pijs reparat collapſas ſumptibus ædes,
Et tollunt mores, qui periere, caput.

Hinc felix Ciuis! felix Eccleſia verè!
Felix, qui nullo pondere, cardo, labat!

Eiuſdem

De Archipræſulis in Patriam aduentu

EPIGRAMMA.

EXpectata diu redeunt ſolemnia nobis:
Mouerunt ſummum publica vota Deum.

Iam noua lanigenis pertentant gaudia pectus,
Paſtor ſollicitas ore ſerenat oues.

Pinguia luxuriant lætis iam paſcua campis,
Nunc parent auido pabula grata gregi.

Iam phlegetontæas fas eſt contemnere fauces,
Tutaq; ſeruat agros, tutaq; ouile quies.

Quis tentet noſtri perrumpere limina ſepti,
Ianua ſi duro cardine fixa ſedet?

Iacobi

IACOBI BATTAGLINI
eiuſdem Seminarij alumni.

FORTITVDINIS ELOGIVM.

EMINENTISSIMVS STEPHANVS DVRATIVS
Nobilitatis iubar à fortibus maiorum factis hauſit;
Sed ſuis magis, ac magis adauxit.
Plurimos annos per omnem verſatus aleam in Curia Rom:
integritatis iuxta, atq; fortitudinis
lauream adeptus.
Annonæ pręfectus mori poteſt; à vigilijs abduci nõ poteſt.
Pontificij ærarij quæſtor quæſturam exercuit
ſine quæſtu,
Vbiq; manus habens liliatas.
Ferrarienſis Legationis munus vltrò oblatum conſtantèr
ſuſcepit, conſtantiſſimè perfecit.
Otij impatiens; alios ex alijs labores exhauriens,
negotia pro ſolatijs accipit.
Generoſi Principis neſcit feriari animus.
Diœceſim perluſtrantis depreſſa valliũ corpus defatigant,
animum non frangunt.
Inacceſſæ Liguſticarũ alpium rupes aſcenſum nõ terrent,
progreſſum non remorantur.

Aſpera illi ſenticeta amœniſſimis viretis amœniora.
Nullus eſt locus tam horridus, nullus tam incultus,
qui eius virtutibus non fuerit excultus
Non ſuam, ſed ſuorum quærens felicitatem.
Aeſtiuum ſydus mortis iaculatur minas,
Mors Heroi vitam poteſt eripere; ſed mortis ſpicula
non deterrent interritum.
Corruptelarum, improbitatisque Idolis deſtructis,
vbique locorum cœlicas virtutes adſtruxit.
Eximius vitiorũ vindex, virtutũ propugnator acerrimus,
DIVI CAROLI veſtigia adhuc calentia pungunt,
& excitant,
Et ſuaui eius memoria omnia difficultatũ tela retũduntur.
Vt viribus exhauſtam, & cadentem
Eccleſiaſticam diſciplinam fulciat,
puluerem, & ſolem ſpernit delicijs innutritus:
Non diuturnæ vitæ ſtudet publicæ ſalutis amator;
ſuæ, vel contemptor, vel immemor.
DISCE LECTOR
Contemnit omnes labores ille, qui mortem priùs.

Eiuſdem

Eiuſdem in eundem.

OLIVA.

EMBLEMMA.

Nunquam areſco.

Bruma decembralis rigidis aquilonibus horrens,
Horriſonis placidum concitat æquor aquis.
Aeolus immites effrænat carcere ventos,
Iunoq; præcipites mittit iniqua niues.
Omnis & vmbriferis viduatur frondibus arbos,
Vnica Palladiæ frondis honore viret.
Maxima delicijs hominum pars victa tabeſcit,
Aduerſa STEPHANVS *prælia fronte gerit.*
Munera bella cient validis quæ viribus inſtant
Inde dapes: ardens inde cupido calet.
Quæ poterunt vires tot debellare phalanges?
Magnus Alexander? Cæſaris ira? Cyrus?
Vicerunt hoſtes quondam: tu mente triumphas
Præſul, in illecebris victor es ipſe tui.

Eiuſdem

IN EMINENTISSIMI CARDINALIS *Fortitudinem.*

QVERCVS.

Emblema.

PVlſa tremat quamuis ventorum turbine tellus,
Concutiat reſono Iupiter igne Polum.

Fixa reluctatur conſtanti robore quercus,
Fulgura nulla timet: flamina nulla pauet.

Inuadant STEPHANVM *Phlegetontis tela furoris,*
Intentet tumidas dira Megera faces.

Inconcuſſa manet virtus: ſtat firmior ære:
Impete ab hoſtili viuida ducit opem.

Hinc nullæ inuictum poſſunt turbare procellæ,
Fixit radices qui æthere, tutus erit.

Eiuſ-

Eiuſdem in eundem.

HELIOTROPIVM.

SYMBOLVM HEROICVM.

HIC SOLIS ÆMVLVS.

Vertice proſpectant ſolares æthera flores,
Celſa indignantur flectere colla ſolo.

Aſsidua vultus luſtrant vertigine Phœbum,
Auricomumque caput quà mouet ille, mouent.

Figere purpureis ardentes oſcula labris;
Inde trahunt vires, nomen, & inde decus.

Scandere miraris STEPHANI *ſuper æthera mentem,*
Cœlica cum flores ſydera ſemper ament?

IO: BAPTISTÆ BOLLINI

STEPHANVS DVRATIVS

Anagrammatiſmus.

SE DVRAT IN FAVSTIS.

QVid mirer miſeris miteſcere pectora fatis?
Non ſolet afflictis rebus ineſſe tumor.

Quæ non turgeſcant auris data vela ſecundis?
Quæ non ingentes luxurientur opes?

STEPHANVS *in duris gliſcit, tenebriſq; niteſcit,*
Durat ſe in fauſtis, *& magè corda premit.*

Creſcat onus, duplicentur opes, geminentur honores,
Tollere res tumidas neſcit opima comas.

Pro decus', ò ſacri, Princeps, lux magna ſenatus,
Digne coronatis ire ſuperbus equis!

Quid loquor? inuictam deceat, quæ laurea frontem?
Sit tantum STEPHANVS *digna corona ſibi.*

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

AD SVMMVM PONTIFICEM

Ominatio.

BINÆ CORONÆ REGIÆ
Emblema.

INclytus imperio patrias moderatus habenas
Stemmata clara tuus nobilitauit Auus.

Duplicat inde Pater ſimili virtute Coronam;
Vnde nitet gemino ſtemma decore tuum.

Magna refers, maiora geris, ſed maxima deſunt;
Nobile trinus honos perficit omne decus

Scilicet iſta tuo manabit gloria fonte,
Qui geminas propria lumina luce Patrum.

Supremos ſuprema decent: te quippe ſupremum
Trina Corona manet. Nomen & omen habes.

Εἰς τὸ τοῦ Στεφάνου χαριέντισμος.

Εἵνεκα γεινομένῳ ἀμφω σοι θέντο τοκῆες
Ὄνομα τοῦ στεφάνου, ἀρχιερεῦ ὕπατε.
Θέσφατα, μοὶ πείθου, πελετῶν οὐ πρήγματα μοῖρας
Θνητῆς, ἐνδέχεται τοῖα θελῆσαι θεός.
Στήθει τῷ μέλλοντ' ἀρετῶν στέμματ' ἀείραι,
Ἔπρεπεν ἁρμόδιον τῆς ἀρετῆς ὄνομα.

Idem eiuſdem Latinè expreſſum.

ALLVSIO AD NOMEN STEPHANI.

QVod tibi vitales venienti, Præſul, ad auras,
Jndiderit STEPHANI *nomen vterq; Parens:*

Crede mihi, humani non ſunt miracula caſus,
Credere fas ſummum ſic voluiſſe Deum.

Pectore virtutum debebas ferre coronam:
Hoc decuit rebus nomen ineſſe ſuis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Lilium Ligures alloquitur.

Fructus mei fructus honoris, & honeſtatis. Eccl. cap. 24. v. 23.

SVmite, me Ligures, diuini flamen odoris:
Me Paradiſæi carpite germen agri.
Nil mihi cum nardo; nil cum telluris honore:
Nil cum Pæſtani veris odore mihi.
Thura iuuent Arabas: molles ſua dona Sabæos:
Aſsyrios croceo rore madere iuuet.
Hinc naris fugitiuus odor: ſua tela cupido
Hinc rapit, & flammas inſidioſa Venus.
Aſt animi meliora legunt hinc munera: noſtri
Fructus, honeſtatis fructus, honoris erunt.

EMINENTISSIMVS CARDINALIS

Non rogatus munificentiam exercet in ſuos Solis inſtar.

NOn precibus fulget nitidiſsima ſolis imago:
Sed radios vltrò ſpargit ab axe ſolo.
Munera ſponte ſuis largitur regia Præſul.
Hunc iubar, hunc ſolem, quis neget eſſe nouum?

Eiuſdem

TEMPERANTIÆ ELOGIVM

EMINENTISSIMI STEPHANI DVRATII

Diuina temperantia verbo, vultuq; rutilat;
ſed magis facto.
Germana virtus mauult eſſe quam videri.
Exoticas dapes reiectat à menſis; contentus natiuis:
Superuacuas tanquam venena deputat.
Hanc laudatiſſimam Temperantiæ virtutem à maioribus
ingenitam admiratur, & conſectatur
Temperantiæ alumnus.
Generoſa Apis ignauum non degenerat in fucum.
Nunquã laſſatũ corpus modico cibatu, quin ſac. Scripturæ
pabulo ſaginetur animus.
In perluſtranda Diœceſi mollẽ plumã nõ quęrit in puluillo
educatus.
Eò laudabilius, quò in magnis etiam viris difficilius.
Vnica fames animarum ſalus; violenta ſitis
Diuini cultus propagatio.
Dũ virgine adhuc ſaliua innumeras turbas ſacris ferculis,
& mellitæ pabulo linguæ paſcit,
quam iucundiſſimis paſcitur dapibus!
Bellaria, quæ cęteris dulcia, STEPHANVS DVRATIVS
tanquam amara reſpuit, & expuit.
Magna munera repudiat maiora daturus.
In tanta faſtigij amplitudine genuinam modeſtiam
in ſinu fouet.
Modeſtiæ cultor, & altor.
Effrænatas mundi illecebras frænat animi moderatione

Intes

Inter Ligures humanitèr excipit primos, nec deſpicit imos.
Purpuræ fulgor nec infimæ plebis oculos perſtringit,
quam citra ſupercilium complectitur.
Si quos nitida ſpecies fulgoris exanimat, oris ſerenitas
tranquillat, & animat.
Purpuram, animiq; moderationem (eò in tanto Heroe
laudatiorem, quò in magnis etiàm Principibus
rariorem) miris modis ſociauit.
In hoc ſolùm ſibi minùs temperat, quòd aurum, & vitam
pro ſuarum ouium ſalute prodigit.
Huius excelſa tēperantiæ monumenta memorię tradentur
ſempiternæ,
Perpetua omnium admiratione, etiam fatente inuidia.
Poſuit
IO: MARIA TASSARIA
Eiuſdem Seminarij alumnus

Ἡ τιῦ ἐξοχωτάτου Καρδιναλέως Φήμη οἰκουμένην ἅπασαν
περιέρχεται.
Ἔνθαδε μὲν στίλβεις; ὑμνεῖ δέ σε κόσμος ἀπείρων,
Οὔνομα τῆδε κλυτόν, μεῖζον ἐκεῖσε νομεύ.

Idem Eiuſdem latinè expreſſum.

HIC fulges, Præſul, toto celebraris in orbe;
Magnum eſt hic nomen, maius vbiq; nitens.

Eiuſ-

Eiuſdem in eundem.

Virtutes noſtri Eminen. Cardinalis.

QVæ non in STEPHANO *ſplendoris gloria fulget?*
Quod non à tanta nobilitate decus?

Num petis eloquij largos manare liquores?
Cerne Periclæis ſaxa animata modis.

Præſcia num mauis ſagacis lumina mentis?
Viderat ancipiti Ianus ab ore minus.

Fortia ſi quæris mirari robora cordis,
Virtute Alcides inferiore nitet.

Dum pœnas ſcelerum, virtutis præmia librat,
Hinc diſcit iuſta pendere lance Themis.

Hic pudor, integritas morum, ſapientia, candor,
Non ſecus in vitro, quas ſpeculere, nitent.

Dicite, mortales, quibus hic ſit viribus impar:
Poſſidet ingenio cætera; mente Deum.

Eiuſdem

Eiuſdem in eundem.

STYGIVS PRINCEPS

De Eminentiſsimo D. Cardinali conqueritur, quòd innumeros propemodùm homines ſacro chriſmatis oleo non priùs inungat, quàm crimina Confeſsionis Sacramento expurganda curarit.

IDOLOPÆIA.

PRotinùs, vt Stephanum ſenſit Phlegetontius hoſtis
E Ligurum populis omne fugare ſcelus.

Reſtitit, & ſubitis complens vlulatibus Orcum,
Hos ad Tartareos euomit ore ſenos.

Occidimus ſocij: certat ferus hoſtis in alto
Æthere nos contrà: proh dolor! occidimus.

Tam iam ſqualentem STEPHANVS *populatur auernũ:*
O nimium regnis, Præſul, inique meis!

Plurima turba ſtygis quondam properabat ad vndas;
Nunc ſtygios Præſul diripit iſte ſinus.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Sol abſens mille ſydera relinquit in Cœlis.

EPIGRAMMA.

SVſpenſo dum, Phœbe, rotas temone ſupinas,
Emeritosq; ſuo pondere ſoluis equos:

Excubat aurato centenus in æthere miles;
Et vigilat celſo plurima flamma polo.

Eſte procul, dum Phœbus abeſt, furesq;, lupiq;
Cedite: non deſunt qui tueantur oues.

Cedite: noſtra licet patiantur ouilia noctem;
Noctem, quæ vincant, lumina mille micant.

Quæ tutela tuis detur vigilantior agnis?
Sis propè, Phœbus alit; ſis procul, Argus adeſt.

Eiuſdem de eodem.
Epigramma.

Ingruentem famem Roma expellit Stephanus annonæ præfectus.

Martia ſquallebant defectis frugibus arua:
Abſtuleratq; vorax munera veſca fames.

Prouida ſed STEPHANI *cereales cura labores*
Allenat, vrgentem dum iubet ire luem.

Horrea triticeis tumuerunt montibus ampla:
Obſtupuit ſubitos Dardana Roma cibos.

Tanta Palæſtinis non flauet copia campis:
Area nec tantas lydica verrit opes.

Ingentes claudat tellus nilotica meſſes:
Iam ſegetes, pinguis, cende, Pachyne, tuas.

Deneget agricolis quamuis ſua fænora tellus:
Non deerit populis, hoc Duce, proma Ceres.

Eminen. STEPHANI DVRATII S.R.E.Cardinalis.

ELOGIVM.

Inaudita Audi
Quiſquis aliena felicitate non doles.
STEPHANVS DVRATIVS eodē penè tēporis articulo
Tergiminis honoribus condecoratur;
In ampliſſimum Purpuratorum Patrum Collegium
iuuenili ætate, ſenili tamen prudentia cooptatur;
In ſupremo Vrbis, & Orbis Senatu prouida conſilia
Chriſtianæ Reipublicæ daturus.
Veſtes conchylio tinctæ fulgurant,
ſed Religionis zelo magis fulgeſcit animus.
VRBANI VIII. Sum. Pont. Oraculo non tàm felicitatis,
Quàm ſpectatæ virtutis ergò, Ferrariæ Legatus
aureo regimine ferreum nomen mutaturus declaratur.
Genuenſi Eccleſiæ vix adita, certè non obita legatione
preficitur.
Inclytæ Patriæ oculatiſſimus Paſtor oēs vitiorū Ceraſtas
infra omnes inferos demandaturus.
Honores hi ampliſſimi Auitos non mutant mores,
aut certè in meliores.
Inſpice, Ciuis, & ſuſpice hocce rarum virtutis pretium.
Tanto Heroi, & Præſuli dignitates non quærenti,
ſed quem dignitates quærant, digniſſimo
Gratulationis, perpetuæq; obſeruantiæ
perenne hoc monimentum
D. D. D.

Bartholomæus Pinaſcus eiuſdem Seminarij alumnus.

Eiuſdem

Eiuſdem

De Eminentiſs. Card. ſub noctem vrbem ingrediente.

EPIGRAMMA.

DVm ſubit Oceanum Phœbus, Sol promicat alter,
Ille atram noctem ducit; at iſte diem.
Nil, timeas Ciuis, fulgor ſi deficit alter,
Perpetua alterius lumina ſolis erunt.

In Seminarij laudem.

Eminentiſſimus STEPHANVS *Peregrinos alloquitur.*

Et erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Pſ. 1. v. 3.

HIc vbi læta meïs vernant viridaria campis,
Siſte, rogo, celeres, ò Peregrine, gradus.
Æſtiuum ſpeculare decus: mirare nitores
Veris, & Autumni munera cerne mei.
Nobiliora mihi iures floreſcere Tempe:
Tale nec Eöo colle virere nemus.
Tempeſtiua ſuo curuantur germina fructu:
Nam mea fœcundo proluit imbre manus.

Eiuſdem de eodem.

Adueniente Eminentiſs. Cardinali omnes lætantur non ſecus, ac exoriente Sole.

AVrea dum thalamis Palantias extulit ora;
Lumine dum primo Phœbus inaurat agros.
Plurima dulciſonis concentibus accinit ales,
Et fundit varium ſilua, nemusq; melos.
Quid Phœbo veniente ſuo ſtudioſa iuuentus
Non certet tantum tollere in aſtra iubar?
Quilibet ore licet rauco priùs obſtrepat anſer,
Auſpice ſit tanta luce canorus olor.

Lilium à ſtipite auulſum.

EMBLEMA.

Etiam decerptum halat odorem.

LIlia decerpas, virides ſeruantur honores:
Nectareo viuus vertice manat odor.
Virtutem STEPHANI *propiùs* FERRARIA *ſenſit;*
Nec nunc abſcntis flagrat odore minus.

Ioannis

IOANNIS ANDREÆ GHII
eiuſdem Seminarij alumni
ELOGIVM.

Eminentiſſimus STEPHANVS S. R. E. Card. Duratius
Nobili genere clarus, ſpectata virtute clarior:
Non tantum ſplendoris à clariſſima familia accepit,
quantum dedit.
Maiorum virtutes hæreditauit omnes,
maioribus anteferendus.
Ab adoleſcentia viuere didicit à virtutibus, vt in omne ęuũ
intaminatus eſſet à vitijs.
Natus in delicijs, deliciarum mirificus aſpernator; vnus ſibi
durus, & aſper; alijs, ſuauis, dulcisq;
Morum comitate ferream animorum frangit duritiem.
E Patria clarus exceſſit, vt clarior Patriam repeteret.
Vix Romã ingreſſo Præfectura annonæ cõmittitur.
Cum ex Vrbe mortiferam famem propulſauit, nullo æuo
morituram ſibi famam comparauit.
In Rom. Curia (id quod raris accidit) rarus æris contẽptor
ærarij præfectus deſignatur.
Par erat, vt qui ærarium eſſet virtutum omnium,
Summi Pontificis ærario præficeretur.
Immaturæ ætatis matura conſilia demirante Roma
Purpureum induit decus, animum non exuit
Duratianum.
Sacram Ianuenſis Eccleſiæ ſpeculam dum refugit, reperit.
Vt laudes omnes vna laude comprehendam: ſuarum
virtutum præconem habuit Summum Pontificem.

DISCE LECTOR.

Illa verè laudata virtus eſt, quæ à viris laudatiſſimis
laudatur.

Eiuſdem de eodem.

Beatus qui intelligit ſuper egenum, &pauperem. Pſ.40.v.1.

QVid miſer accumulas ſcelerato fænore nummos,
Tempora dum turpi vendis auare lucro?
Diteſces nunquam: ſordebis ſemper in auro;
Nil opibus pariet credita lamna tuis.
Crede mihi, vſuræ neſcis compendia veræ;
Te docet exemplo quærere Præſul opes.
Pauperibus credit: diuinæ commodat arcæ:
Hæc arca ò quantum, quod tibi ſoluat, habet!

Circumdederunt me ſicut apes. Pſal.117. v.12.

TETRASTICHON.

CVR velut Hyblæi rubicunda roſaria pæſti,
Vnde legit dulces plurima turba dapes:
Millia purpureum circumſtant agmina Patrem?
Iam ſcio: rubra gerit Lilia: captat apes.

Eiuſ-

Eiuſdem

In Iuſtitiam Eminentiſſimi D. Cardinalis Epigramma.

LVcifer vt ſparſit puro ſua lumina Cælo,
Attrahit ad ſuperos ora ſupina tholos.
Non minùs effulget STEPHANVS *virtute coruſcus*
Aſtræa: & miro cuncta ſtupore replet.
Lumen ſit compar, vno diſcrimine differt:
Commouet ille oculos; excitat hic animos.

Eminentiſſimi Principis STEPHANI DVRATII maieſtas maxima cum pietate coniuncta.

Solem nube tegam. Ezech. c. 32. v. 7.

Epigramma.

NIl tegat obtentu Phœbus ſua tempora nubis,
Quis valet affixo lumine ferre iubar?
Gratior affulget, Præſul, tua purpura ſole:
Fundit & attonitas irradiata faces.
Ardet quisq; frui vultus rutilantis honore:
Suſpicit intentus, quod micat ore, decus.
Cernitur illæſo cur tantus lumine fulgor?
Splendorem pietas nubilat imperij.

PETRI ANTONII ARGIROFFI
eiuſdem Seminarij alumni.

Da Sapienti occaſioné, & Sapientia addetur ei. Prou. 9. v. 9.

LVna, micante, ſilet, Phœbo, verecunda, ſed audet
Nocte lateſcentes explicuiſſe comas.

Fronte ſerenata nocturnas diſcutit vmbras
Gemma; niteſcentem ſuſtinet atra diem.

Extenuat tacitas Cœli per aperta fauillas
Lampas, in anguſto duplicat orbe faces.

Abnuit in facili ſapientia cernier auſu:
Sola laboriferas nititur ire vias.

Claret in obſcuris, vires acquirit agendo;
Virtutemq; probant frigus, arena, calor.

Noſcere vis STEPHANVM? *magnarum pondera rerũ*
Iungito: nobilior promicat inde Sophos.

Eiuſdem

Eiuſdem

In Aduentũ noſtri Archipræſulis

DVm noua purpureæ miramur lumina frontis;
Almaq; Janigenis lucet ab axe dies:
Lætitias teſtata nouas dum mœnia plaudunt;
Æther & ad reducem dum ſtrepit ære patrem;
Dat populus, dat ſacra cohors præconia: quiſque
Laudibus immodicis hunc ſuper aſtra vehit.
Multiplicis retuliſſe, decus, pietatis honores
Nobile: laus maior commeruiſſe fuit.

PONS ÆTHEREVS
In ſtemmate.

CRedite: terrigenas, miracula rara, Gigantes
Senſerat inſucto pondere feſſus Atlas.
Peruia tum propiùs ſpectaſſe cubilia Phœbi
Dicitur aggeſtis terra ſuperba iugis.
Jrrita vaneſcant operis portenta vetuſti:
Nobilior STEPHANI *corripit aſtra labor.*
Splendidiora patent celebris miracula famæ,
Dum nobis Pontem, Præſul, ad aſtra facis.

Λυρα.

Εἴπερ ἀσύμφωνοι μὲν τοι νεύρω ἤχεον ἄλλοι,
Κρηίατεινε ναὶ βραγχὸν καὶ λυρ᾽ ἔδωκε μέλος.
Κεῖναι σύμφωνοι γλυκερὴ τέρπουσιν ἀοιδῆ,
Ἡδυτέρων τ᾽ αὐρα φθόγγον ἀποτελεῖ.
Ἁρμονίην ἱερὸν ταγμ᾽ ἂν ζηλώσαι πατρός,
Ἐξ ἀρετῶν ἄστει στήσεται ἁρμονίη.

Idem eiuſdem Latinè expreſſum.

LYRA.

Diſſona ſi neruo ſint cætera fila priori,
Non benè concinnos dat Lyra rauca ſonos.

Conſona ſint: modulos effundunt plectra canoros,
Et magis argutum murmurat inde melos.

Sacra cohors Patris concentibus accinat almis,
Virtutum dulcis fiet in vrbe ſonus.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

STEPHANVS DVRATIVS

ANAGRAMMA.

IANVS PASTOR ADEST.

QVantus ab aurifluis quondã decor extitit annis:
Quantaq; de cana ſimplicitate fides.
Quantula felicis reſonant miracula regni:
Quantus & integræ proſperitatis honos.
IANVA, tanta tuæ memoratur gloria ſedis,
Moribus integritas cedit auita tuis.
Nobiliore redux condit rediuiua metallo
Sæcla, tuus PASTOR, *dum tibi,* IANVS ADEST.

Ioannis

IOANNIS MATTHÆI ROVERETI
eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

Phœnix.

IGnibus extinguit languentia lumina Phœnix:
Suppoſita renouat ſæcula multa face.

Thura parant panchæa rogos: incendia Phœbus:
Vritur: ò quantum præſtat in igne mori!

Excitat è flammis rediuiuæ ſemina vitæ:
Emicat è mortis limine vita recens.

Quæ tenebræ extinguant Duratæ lampada lucis?
Ecce nouant, renouant fata benigna decus.

Altera vix moritur, oritur lux altera nati
Purpura, de Patris funere viuus honos.

Exclamare libet: felicia funera Petri,
Si mors quæ viſa eſt, vita repentè fuit!

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem

EMBLEMA.

Luna quà ſpectat Solem lucet: quã abeo diuertit, tenebroſa eſt.

QVatenus ignifluos proſpectat Cinthia currus:
Haurit & aduerſi ſolis ab ore iubar:

Fraternas imitata rotas mortalibus vmbras
Diſcutit inferiùs: cætera fuſca ſilet.

En tibi, ſacra cohors, ſublimi in vertice Phœbus
Effundit nitidas, quas ſpeculere, faces.

Dum frueris tanta propiori lampade vultu:
Afflata æthereo clariùs igne micas.

Quòd ſi deſpicias auerſo lumine lumen:
Jncubat, heù! noctis mentibus vmbra tuis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Quaſi Stella matutina in medio nebulæ. Eccl. 50. v. 8.

EPIGRAMMA.

PHæbus vt igniferas numerauit greſſibus horas,
Lucis & Heſperio limine clauſit equos.

Matutina ſuos crinales ſtella decores
Explicat, & vitreis ſe ſpeculatur aquis.

Inuida nox fruſtrà prætendere certat amictus:
Et nitidum tenebris implicuiſſe decus.

Quò magis hæc mundum cæcat: magis illa coruſcat:
Duplicat hæc vmbras: duplicat illa faces.

Quis valeat STEPHANO *cæcas effundere noctes?*
Lucida per nebulas tam magè ſtella nitet.

Quot maculis liuor STEPHANVM *conſpergere quæret,*
Lumina tot STEPHANO *fulgidiora dabit.*

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

LILIVM

Liliorum radix venenum antidotũ.

Ex Plinio in nat. hiſt. lib. 21. cap. 19.

EPIGRAMMA.

FLoſcule ruris honos, redolentis gloria Floræ:
Certa ſalus hominum, maxima cura Deum.

Noxia mortiferos effundant germina ſuccos,
Dira venenifera ſæuiat ira feræ.

Impia propinent triſtes aconita nouercæ:
Occulat ambroſius toxica ſæua latex.

Non virus, non herba nocet, non ira Ceraſtæ:
Porrigis en certam tu mihi germen opem.

Si quibus ægreſcunt lethali viſcera tabe,
Aut ſcelerat mentes exitiale nefas;

Aurea quà latos fortunant Lilia campos,
Hùc veniant, morbi hic certa medela patet.

Εἰς Ἀρχιερέως σωφροσύνην τὴν χώραν ἐφορῶντος.

Οὐ βρομίων ἀλέγει πρόεδρος, δ' αὐτὸς εὐθαλείας,
Ἢ ὅτι τρέφει ψυχὴν βρώμασιν ἡδυτέροις.

Idem Eiuſdem latinè expreſſum

In Antiſtitis frugalitatem prouinciam inuiſentis

DISTICHON.

MAſsica non curat: menſas nec Præſul opimas:
An quia cor paſcit nobiliore cibo?

Emmanuelis

EMMANVELIS CASTILIONI
eiuſdem Seminarij alumni.

Ad Vrbem GENVAM in aduentu Cardinalis GRATVLATIO.

STEPHANVS DVRATIVS
Anagramma

EST TVVS SERAPH DATVS.

Eritq; anima eorum quaſi hortus irriguus
Iſa. 58. 11.

IAM mihi vera refers terreſtris Symbola Coeli
Janua, delicijs facta beata nouis.
Principe ſub tanto virtutis odoribus halas;
Te niſi pura comunt, te niſi ſancta beant.
Jura nefas perimunt, vitiorum monſtra repellunt,
Iam rubet in niuea ſimplicitate pudor.
Culta fide, probitate cales, pietate rigata,
Intactum cingis relligione ſinum.
Agger es ipſa tibi, tibi Janua ſola perennis:
Hinc TVVS *eſt, cuſtos, ceù* DATVS, *ipſe* SERAPH.

Eiuſdem de eodem.

SCALA IACOB
in ſtemmate.

EPIGRAMMA.

SAnctorum nobis redeunt miracula Patrum:
Secula ſub Stephano Principe, priſca vigent.

Delubris cultus quo tempore verior aris?
Qualis Saturno ſoſpite relligio?

Quo maiora tulit ſub Principe præmia virtus?
Floruit aut probitas cum pietate magis?

Vberiore viros fortunant ſydera fluxu;
Florida largifluas terra refundit opes.

Numina ſi libeat nunc cælica flectere votis;
Excipiunt iuſtas protinus aure preces.

Si placet ætherei conſcendere limina cæli:
Ad Cælum, Stephano ſub duce, ſcala patet.

Eiuſ-

Eiuſdem de eodem.

LILIVM

EPIGRAMMA.

VIVE Diù nulla flos ò moriture ruina.
Siue ruat tellus, nubila ſiue tonent.

Horrida gliſcat hyems borealibus incita nimbis:
Non tibi bruma nocet, non tibi frigus obeſt.

Sæuiat infernus diris feruoribus æſtus;
Purpureum caſto vernat in ore decus.

Iam tibi perpetuæ ſperanda eſt gloria frondis:
Nam te mortales non poſuere manus.

Alluditur in hoc Epigrammate ad æuiternitatem liliorũ familiæ Duratianæ; quemadmodum .n. Galliæ regnum diuinitùs approbatum fuiſſe perhibetur, quòd tria lilia, quæ illi ſunt adhuc regia inſignia, de Cœlo miſſa fuerunt Clodoueo; ita nunquàm intermoritura ſunt hæc lilia: quippe cælitùs demiſſa. Lege hac de re Barboſam de poteſtate Epiſcopi, vbi egregios adducit auctores.

Eiuſdem de eodem

Veſtis Purpurea Eminentiſſimi D. Cardinalis Religionis zelo purpuraſcit magis, quàm colore Puniceo.

EXterni roſeo micant decore
Cultus in Stephano: ſed intus igne
Pectus Zelotypo magis caleſcit.
An hinc punicei rubent honores?

Ἶρις ἐν στέμματι Καρδιναλέως.

Αἰσχρὰ πάλαι οὐρανὸς ἴδεν δακρυόεντι προσώπῳ
Δευκαλιώνεια πλημμύρα πάντα ῥόον,
Εὐθὺς δαιδαλέην περιήγαγε χρώμασιν ὦπα,
Ἄγγελον εἰρήνης μάρτυρα συνθεσίης.
Ἰανυα' ἀπειλὰς μὴ τρέσης νεφέων σκιοέντων.
Μὴ φοβέου σκηπτοῦχος αἰθέρος ἐκ Διόθεν.
Ἑσπέριος φαίνει θαυμαντίδα μακρὸς ὄλυμπος,
Εἴσιδε συνθήκην ἔμπεδον ἡσυχίας.

Iris in ſtemmate Cardinalis.

TVRPIA iam vidit lacrimanti lumine Cælum
Deucalioneis obruta ſecla vadis.
Ilicet & vario circumtulit ora colore
Paciferam terris teſtificata fidem.
Ianua ne trepides minitantia nubila cæli,
Fulmina ſceptrigeri ne vereare Iouis.
Æthere cæruleus thaumantida pandit olympus:
Suſpice: perpetuæ fœdera pacis habet.

Elo-

ELOGIVM

De Eminentiſs. & Reuerendiſsimo D. D. STEPHANO DVRATIO *S. R. E. Cardinali, & Genuæ Archiep. Seminarium ſeptimo Februarij inuiſente.*

Admirabundi oculos hùc aduertite Ciues, & virtutem
ſuſpicite prorsùs heroicam.
Hodierna luce clariſſimum vaticanæ purpuræ lumen
Eminen. STEPHANVS DVRATIVS Inclytus Princeps
de ſe triumphum agit inclytiſſimum.
Imperatorio virtutum diademate coronatus
Inter altiſſimas curas in humilem hunc, at Deo ſacratũ Clericorũ cœtum viſendi curam incumbit attentiſſimè.
Nullam diuiniorem cognoſcens in terris laudem,
quàm ſui victoriam;
Humanam deſpiciens gloriam, veram, ſolidamq; intuetur.
Maior Alcide, Alexandro, Cæſare, hoſtium victoribus,
ſuarum libidinum mancipijs:
Sui victor STEPHANVS DVRATIVS ampliſſimo
ſublimitatis faſtigio nil intumeſcens,
humilitate ſe ſe demittit voluntaria.
Nullas horret difficultates Pietate pectus armatum;
ſudores non putat pudores diuinus amor;
Religio STEPHANO DVRATIO inoccidua cynoſura eſt.
Hoc hæreditarium victoriæ genus in omne æuum durabit
vitam promeritæ perennem.
Impertitæ non immemor benignitatis hoc humillimi,
& perpetui obſequij anathema in immortalitatis templo
conſecrauit

Pellegrus Paggius Seminarij alumnus.

Eiuſdem ad eundem

Cœlum cum Luna, Stellis, & Sole depictum cum lemmate:

PVLCHRIORA LATENT.

ENitet in Cœlis argento Cynthia Phœbe
Pulchrior: Aſtrorum lumina pulchra micant.
Pulchrior & Phœbus, Cœli ſplendorq; decusq;;
Omnia pulchra vides; ſed magè pulchra latent.
Præſulis eſt noſtri ſpecies formoſa: ſed intrò
Si ſpectes; videas pulchrius eſſe nihil.

Eiuſdem ad eumdem
Epigramma.

INclyta iam, Præſul, ſileas, venerande, parentum
Stemmata, nec plaudas nobilitate domus.
Diuitias, decus, ac luxus, oſtrumq; ſuperbum;
Conticeas magnos & ſuperare Duces.
Culmina ne iactes ſpeculæ, ſacrumque tyaram;
Quòd reſonet nomen terra repoſta tuum.
Non hæc te miſcent ſuperis præconia tantum:
Vnum te miſcet ſed pietatis opus.

Eiuſ-

Eiuſdem de eodem.
Quaſi Oliua ſpecioſa in campis.
Eccl. 24. v. 19.

CErnis oliuiferæ viridantia germina plantæ
Pandere perpetuas læta per arua comas?
Si tibi Palladiæ præcingant tempora frondes,
Hinc ſua pacificus fœdera nectet Amor.
Comprime vernantes, hyemantia munera, baccas;
Dat tibi diſtillans lumina clara latex.
Hinc vitæ præclara tuæ pete Symbola, Præſul,
Præſul, cui nunquam ſpes moritura viget.
Increſcant curæ, geminentur vbiq; labores;
Pectora tranquillat pacis amica quies.
Fata premant corpus; generoſæ lumina mentis
Durabunt: lucem poſthuma flamma dabit.

Arbor cum aureo ramo.
NON DEFICIT ALTER.

DEcidit indignis correptus Spinola fatis:
Spinola, quem poterit nulla ſilere dies.
Dum tamē ille cadit, STEPHANVS, *ſpes altera, ſurgit;*
Et renouant gratas fata benigna vices.
Felices Ligures, quæ vos fera parca refringat;
Vnus dum Paſtor deficit, alter adeſt?

IVLIANI LAMORATI
eiuſdem Seminarij alumni.

Lilium in ſtemmate.

Epigramma.

FLoſcule delicium terræ, decor addite Cœlo,
Viuere perpetuis, floſcule digne comis.

Candentes ſpeculata tuos vaga ſydera vultus,
Condecorant cultu nobiliore genas.

Concedit pia dona tibi panchaia tellus;
Cedit & ambroſias gens nabathæa ſuas.

Ipſe tuos miratus Arabs veneratur odores,
Diues & eximias obſtupet Indus opes.

Quà roſeus Sol iungit equos, quà mergit in vndis:
Clara tuum recinet, Floſcule, fama decus.

Ἡ του Στεφανου ἀρετὴ χοσμεῖ τὴν πορφυραν.

Στίλβει πορφυρέη Στεφανος λαμπων ἐνὶ τιμῇ,
Τιμὴ δ' ὀστρείη μαλλον ἐνὶ Στεφανῳ.

Του αὐτου ἄλλο.

Λαμπρος πορφυρέη Στέφανος τιμῇ Στεφανουται,
Τιμης πορφυρέης αὐτος ἐων Στεφανος.

Idem eiuſdem latinè expreſſum.

STEPHANI VIRTVS

Purpuram cohoneſtat.

CLarus in oſtrigero STEPHANVS *fulgeſcit honore:*
Oſtriger in STEHANO *ſed magè claret honos.*

Idem eiuſdem.

FVlgidus oſtrigero STEPHANVS *redimitur honore;*
Muricis exiſtens ipſe corona ſui.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Tollit Crucem ſuam. Luc. 9. v. 23.

EMBLEMA.

Aquilinus ſolaribus radijs oculos defigens.

ARdua degeneres animos diſcrimina pandunt:
Ignibus in medijs claret amica fides.

Ingenitos nati tentat Iouis armiger auſus,
Cordaq; Phœbea nobiliora fide.

Militiam linquat, mentitaq; nomina quisquis
Diuerſo ſequitur tramite ſigna Ducis.

Dum STEPHANVS *tantos virtutis amore labores*
Suſtinet, & gaudet pro pietate pati:

Scilicet intrepidis Chriſti veſtigia luſtrat
Greſsibus; atq; docet quid ſit amare Deum.

Non tepidus virtutis amor: non munera linguæ,
Non ſimulata fides: crux ſua quemq; probat.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Arcus Apollinei in ſtemmate.

EPIGRAMMA.

QVid triſtiores paſſus iras ætheris,
Nubesq; ſæuas ignibus,
Ligur . furoris, vindicisq; vulnera,
Amica reris oſcula?
Ah cerne, campus quæ corruſca, cælicus
Lunat metallo cornua.
An non Amoris ſuſpiceris arculos,
Queis grata vibrat ſpicula?

PHAROS.

TVrbidus imbriferas dum Iuppiter exciet iras,
Certat & Æoliis Tethyos vnda minis.
An non in tantis pereant vaga ligna procellis;
Ni fidos pandat nuncia flamma ſinus?
Iam ne deſperes Cæleſtis littora portus,
Dum cæco infidas ſydere findis aquas:
Suſpice purpureo vigilantem lampada cliuo,
Inde petas Pharias, Ianua tuta, faces.

Elo-

ELOGIVM.

Eminentiſsimo Principi STEPHANO DVRATIO
Regia virtutum Corona redimito,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ampliſſimo,
digniſſimo Vrbis, & labantis Orbis cardini:
Auitæ clementiæ viuæ imagini, paternæ pietatis hæredi;
Religionis typo, prudentiæ oculo, ſingulari virtutum
omnium exemplari,
Vnde cęteri ſumere poſſint, quod imitentur:
Genuenſis Eccleſiæ vigilantiſſimo Archipræſuli,
In Archiepiſcopali ſemper excubanti ſpecula;
vnde præuidet, ac prouidet.
Collabantis Eccleſiaſticæ diſciplinæ Reparatori,
Viduarum propugnatori, orphanorũ procuratori, pauperũ
pręſidio, ad imperij habenas regendas in lucẽ edito,
vt magis prodeſſet, quàm præeſſet.
Cuius in aula DVRAT IVS, regnat Aſtræa,
ſordidæque auaritiæ maculæ emaculantur:
A Ferrarienſi legatione, quam vltrò oblatam cępit,
& integerrimè perfecit, reuertenti,
non honori, ſed labori inſudanti:
Clericorum Seminarium, proh pietas! brumali tempore
inuiſenti, manſuetioribus muſis applaudentibus
In anguſto huiuſce Collegij viridario auguſta vaticinãtib⁹,
Hoc è Poeticis floſculis liliatum ſertum
in grati animi, ſingularisq; beneuolentiæ teſſeram,
Anno à Deipara Virgine M D C X L. Sept. Idus Ianuarij
adnectebat

Io: Hieronymus Queirolus Seminarij alumnus.

Eiuſdem

Eiuſdem in eundem.

Cometa in Cœlis.

EMBLEMA.

EMicat interdum Cæli per aperta Cometes,
Vibrat & attonitas crine rubente faces.

Protinus æthereo defixi lumina Olympo,
Mirantur monſtrum fœmina, virq; nouum.

En Ligurum Cælum nouus ignis vbiq; ſerenat;
Ignis, quo ſplendens Itala terra nitet.

Hic dum multiplicis virtutis lumina fundit,
Quid mirum, Ligures ſi ſtupor altus habet?

Eiuſdem

In Aduentu Eminentiſs. Cardinalis in Seminarium.

HÆC, quæ ſpinoſis horreſcunt carmina dumis,
Pignus amoris habe.
Sæpe inter ſteriles videas floreſcere ſentes
Lilia candidiùs.

Eminen. D. Cardinalis in perluſtranda Diœceſi æquè opum, ac vitæ prodigus.

EPIGRAMMA.

DIuitijs inopem STEPHANVS *ſolatur egentem,*
Plurima largitur neſcius eſſe tenax.
Nonne ſatis, gazas animo ſi prodigat alto?
Non ſatis eſt, vitam prodigit uſque ſuam.

Eiuſdem in eundem

Seminarium inuiſentem.

TETRASTICHON.

QVas inuiſiſti ſacras laudaris ob ædes:
Sed quis non nouit Præſulis hæc onera?
At cum ſpontè domus viſis tu limina noſtræ,
Ecquis non clamet, quàm pietatis opus!

Gabrielis

GABRIELIS FRASSINETI
eiuſdem Seminarij alumni.

PONS ÆTHEREVS
In ſtemmate.

EPIGRAMMA.

CErnis vt ætherei pateat tibi ſemita pontis,
Limina diuinus quà tenet alta labos?

Scilicet hos virtus metitur olympica calles:
Hos rapit integritas: hos rapit alma fides.

Non alio gemini tranſgreſsi tramite Cælum
Tyndaridæ, nautis ſydera grata micant.

Teq; Gygantæo præclarum, Bacche, triumpho
Hàc reuehunt Tigres aurea ad aſtra tuæ.

Quid memorem clari fulgentem puluere Martis
Alcidem ſuperas hàc petijſſe domos?

Aurea, te Præſul, tranſcendere culmina Cæli
Iàm decet; æthereus Pons tibi pandit iter.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Via virtutis, & voluptatis in ſtemmate.

Paraui tibi montes immenſos ſeptem habentes roſam, & lilium. Eſd. 2. 6. nu. 19.

CErne, Ligur, ſectum diſcrimine ſtemma quaterno:
Hinc prudens diſcas, qua gradiare, viam.

Hinc roſa ſternit iter, Veneris damnoſa voluptas:
Ah caue: mox pallent, quæ rubuere, roſæ.

Jnde regunt tutos vernantia Lilia greſſus;
Quà via ſecurum lactea pandit iter.

Tramite non alio contendit ad ardua virtus:
Hoc gradere, æthereas ſi cupis ire domos.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons Sapientiæ.

Prou. c. 18. nu. 4.

EPIGRAMMA.

ARenti quicunque fodis tibi gurgite lymphas,
Quisquis anhelanti corde fluenta ſitis.

Dum miſer exhauris ſitibundo é flumine lymphas,
Acriùs epoto feruet ab imbre iecur.

Auriflui non vnda Tagi; non diues anhelam
Sedat Hydaſpei gurgitis vnda ſitim.

Ecce tibi à STEPHANO *meliori fonte liqueſcunt*
Flumina; vitalis proluit ora latex.

Huc propera propiùs dulces libare liquores,
Hæc tibi diuino lympha ſapore ſapit.

M Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

EMBLEMA.

Arbor fructuum vbertate in terram propenſa.

DVm frondens varijs cumulatur fructibus arbos,
Flectitur, & preſſo vertice lambit humum.
Sit fætu viduata ſuo, ſine pondere ſursùm
Surgit, & excelſus ſydera pulſat apex.
Tollatur Præſul, nunquam mens fertur honore:
Diſcit ab ingenio mitior eſſe ſuo.
Murice fulgeſcat: cumuletur honoribus oſtrum:
Hoc magis ima petit, quò magis alta ſubit.

Εἰς φιλανθρωπίαν τοῦ Κυρίου Καρδιναλέως
Κριτὴς καὶ Πατὴρ.

Οὐχὶ σιδήρεος ἡ Στεφάνου εὐμείλιχος ὀργή.
Αἰτία λῆς νοέειν; Ἤπιός ἐστι Πατήρ.

Idem eiuſdem latinè expreſſum.

In Clementiam Domini Cardinalis
Iudex, & Pater.

NON ruit ad ferrum Stephani placabilis ira.
Scire cupis cauſam? viſcera Patris habet.

Nicolai

NICOLAI BARTOLI
eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

Monilia Phœbes in ſtemmate Eminentiſs. Cardinalis.

Admirabilis GENVENSIVM felicitas.

LVcis ab alterno variantia ſydera gyro,
Munere te certant nobilitare, Ligur.
Falciger antiquo condit tibi ſecla metallo,
Delicias verni dat Cytherea ſoli.
Jupiter impertit regalis munera ſceptri:
Paciferaſque Nepos donat Atlantis opes.
Mœnia belligero fulcit tibi robore Mauors:
Prodiga largitur Luna monile ſuum.
Non video, celſi ni poſcas culmen olympi,
Jn tua quid maius poſcere vota queas.

Eiuſdem de eodem.

LILIA PVRPVREA

Dialogiſmus.

Dameta. Fauſtus.

D. QVid tibi frondiſo flaueſcit Fauſte quaſillo?
Poma ne mixta roſis?

F. Aſpice purpureis ridentia lilia labris:
Dona Neæra feret.

D. Prò lepor! ò ſpecies! unde aurea lilia tali
Murice picta rubent?

F. Ne mirere: fouent roſeos, Paſtoris, alumnos
Lumina Purpurei.

Eiuſdem de eodem.

STEPHANVS DVRATIVS

ANAGRAMMA.

IANVS PASTOR ADEST.

DIC Ligur, anne tuus rediuiuus ab æthere IANVS
Prodijt, an ſimilis qui tibi PASTOR ADEST?

Ille biceps gemina cernit duo tempora fronte:
Iste peracta ſapit: mente futura videt.

Ille gerit ſceptrum regali fulgidus oſtro:
Hic populos, ſacrum Purpureusq; pedum.

Fulget vtrique decus paruo diſcrimine diſpar,
Hic erit æthereus clauiger: ille fuit.

Eiuſdem de eodem.

De Clementia Præſulis ad Diuum Stephanum alluſio.

EPIGRAMMA.

Sollicitos ex corde metus rea turba repelle,
Floribus è nitidis ſpeſque, ſalusque venit.

Nectareæq; dapes dulci de ſtipite manant:
Hinc probitatis honos: hinc pietatis odor.

Non benè candores atra cum cæde morantur;
Diſſentit vindex à pietate furor.

Quid loquor? à Stephano quinam paſcente timores?
Nominis ipſe memor, deneger eſſe nequit.

IOANNIS BAPTISTÆ DE LEONARDIS eiuſdem Seminarij alumni.

Peccatores aiunt: Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. Sapient. 2. v. 8.

EPIGRAMMA.

Et in puncto ad inferna deſcendunt. Iob. 21. v. 13.

SVrgite, Bacchus ait, præcingite tempora flore:
Nos iuuet in roſeo luxuriare toro.

Expectent donec voret illum faucibus Orcus:
Parua mora eſt: dicet nunc rogus, illa roſa eſt.

Heù roſa flos breuis! heu formæ moritura voluptas!
Fallax vnde ſibi fert alimenta Venus.

Præteriere roſæ. Floreſcunt lilia ſemper:
Lilia præſtiterat præpoſuiſſe roſis.

Eiuſdem de eodem

Sol qui ſemper circumagatur

EMBLEMA.

ASſiduus, voluente rotà, ſol circinat orbem,
Dum vagus occiduas exit, & intrat aquas

Præſul agis, peragisq;, quies non membra relaxat;
Munera grata tuis officioſus obis.

Nubibus abſtergit nimboſis æthera Phæbus,
Purpureus quoties prodit ab axe dies.

Jurgia componis, Præſul, tenebroſa ſerenas
Pectora, quæ ſcelerum cæcus opacat amor.

Claudit in Oceano morientia lumina Phœbus;
Sed tua ſtat virtus non moritura tuis.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem

Ad noſtrum Eminentiſsimum Seminarium inuiſentem.

EPIGRAMMA.

QVod ſacra ſollicitus Diuorum templa reuiſas,
Nobilis, & ſummo dignus honore labor.

Quod caueas vigili Populorum mente ſaluti;
Maxima, ſed ſpeculæ debita cura tuæ.

Quod certes tenui iam conſuluiſſe iuuentæ,
Quod properes humilis limen adire domus;

Scilicet hoc referat diuinos laudis honores:
Præcellat cunctis hoc pietatis opus.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

Pantheræ odore allectæ quadrupedes enecantur; Stephani virtutibus beluini etiam homines inuitantur, & ſeruantur.

In odorem vnguentorum tuorum curremus.

Cant. 1.

ALlicit omnigenos ſpirans Leopardus odores,
Impius allectas enecat inde feras.

Virtutum ſpargens inſueta opobalſama Præſul,
Ducit ad amplexus impia corda pios.

Inter vtrumq; ergo ſunt hæc diſcrimina odorem:
Attrahit hic vitæ; corripit ille neci.

HILARII GNECI
eiuſdem Seminarij alumni

EPIGRAMMA.

. . . . Zephyris melioribus halant
Perpetui flores.
Claud. 2. de rapt. Proſerp.

ASpicis vt rutilent centenis arua pyropis,
Æthere Phrixeæ dum tepet ardor Ouis?

Mox fugitiua ſuos extinguet Chloris honores;
Cum Tropicus gelido ſæuiet axe Caper.

Conſpice cæruleo viridantia Lilia campo:
Lilia perpetuis non peritura comis.

Telluris non illa vices; non ſyderis iras
Æſtiui, aut Brumæ ſpicula ſæua timent.

Scilicet hi flores Zephyris melioribus halant.
Humana æternum non alit aura decus.

Eiuſ-

Eiuſdem de eodem

Eminētiſs. D. Card. omnia veri Pontificis munia per ſe obit diligētiſſimè in Diœc. perluſtrāda.

FElix, cælicolum Stephanus dum templa reuiſit:
Relligio templis, & ſua forma redit.
Felix, dum ſpargit cæleſtis pabula verbi,
Squalentes maculas purgat, & omne nefas.
Felix ſacra pijs dum Chriſti fercula præbet,
Et Ligures ſacro Chriſmate fronte notat.
Felix, dum paſcit quos indiga vexat egeſtas;
Et lautas credit, toxica dira, dapes.
At magis ò felix mercedem dum cupit vnam,
Te Chriſte: vſq; adeò flagrat amore Dei.

Eminentiſsimus Cardinalis nondum quadragenarius purpura decoratur.

Aducna. Ligur.

Dialogiſmus.

Ad. *DIC Ligur à uiridi Stephanus cur purpurat æuo?*
Maieſtas iuuenis ſtemma ſenile gerit?
Albentes inter viridis ceù gemma renidet,
Purpureos inter ſic nitet ille ſenes.
Lig. *Quid mirum? canam iuuenili in corpore mentem*
Verſat; Conſilio mens generoſa ſenet.
Roma ſenes ſpectat; maturis illa decorum
Moribus aſpiciens, credidit eſſe ſenem.

Eiuſdem

Eiuſdem de eodem.

ODE.

Ianua Diuam Virginem precatur, vt Præſuli nauiganti adſit.

SYderum præſes, pelagiq; Sydus;
Diua, quam pronus veneratur orbis:
Cui polus ſeruit: famulosq; purgant
Tartara manes.

Tu procelloſos reprimis tyrannos,
Dum laborantes pelago carinas
Adiuuas præſens, adimisq; ſæuæ
Faucibus vndæ.

Luce te diræ fugiunt tenebræ:
Cedit Orion: ſine nube candet
Æther, & certus timidis refulget
Nauibus ignis.

Hinc

Hinc procul tetras Hyadum procellas
Summoue: flatus cohibe malignos:
Gratus optatis Zephyrus biremes
Applicet oris.

Redde, quem debet malè fida Tethys
Creditum campis Stephanum latinis,
Celsa quà ſeptem ſuper aſtra tollunt
Mœnia frontes.

O meum ſerues decus, & meorum
Vnicum lumen: tumulamur atra
Nocte, ſi fluctus ſubeant amica
Lumina Phœbi.

IACOBI DRACHI
eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

In noſtrum Cardinalem Diœceſim colluſtrantem.

Exultauit vt gigas ad currendam viam. pſ. 18.

TEmpora dum Titan metitur in axe diurna:
Et rutilo roſeas vibrat ab ore faces.
Fœcundat tacita teneras pinguedine plantas,
Aurifluo ſterilem munere ditat humum.
Dum ſua purpureus colluſtrat ouilia Paſtor;
Permeat & latos more Gigantis agros;
Sacra ſalutiferi gregibus dat pabula verbi;
Et dape diuini roris opimat oues.

Non eſt qui ſe abſcundat à calore eius. Pſal. 18.

PVniceis, inuecte, roſis cum, Phœbe refulges,
Cuncta nitore micant: cuncta calore tepent.
Non aliter Stephanus Patriæ radiantia vibrat
Lumina; non aliter corda calore cremat.
Vndique flammoſis tellus feruoribus ardet,
Pectora ſed dio Præſulis igne magis.

Eiuſdem

Eiuidem

In Eminentiſsimum Cardinalem In Patriam redeuntem.

EMBLEMA.

Sol poſt nubila gratior.

PHæbeas dum tetra faces mortalibus ægris
Vmbra rapit, mœror pectora mæſta tenet.
Aſt vbi purpureus diſiectis nubibus ignis,
Punicea pingit luce theatra Poli:
Florida lætantur nitido pomaria cultu,
Gramine plaudit humus, blandula cantat auis.
IANVA PASTORIS facie viduata nitenti,
Heu quanta angoris triſtia ſigna tulit!
Vnanimi reſonant nunc omnia compita plauſu,
Purpureumq; decus quisq; ſalutat ouans.
Ingeminant voces, vnus ferit æthera clamor,
O ducat longas Paſtor in Vrbe moras.

In Eminentiſſimum Cardinalis Iuſtitiam Diſtichon.

IAm lites ceſſant: diſcors iam cedit Erynnis.
Num repetit terras nos miſerata Themis?

Ioannis

IOANNIS AVGVSTINI OLIVERII eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

Eminentiſſimus more maiorum Patrum digni-
tates non quærit, ſed refugit.

NOn cupit imperium Stephanus, nō ardet honores:
Non ſitit externæ lucis inane decus.
Quàm magis imperium, magnorum ſplendor honorū
Sectantur Stephanum, tàm magis ille fugit.
Talis & Hyppolitum fugientem Phædra ſequuta eſt:
Tergaq; currentis ſic comes vmbra viri.
Rectiùs ergo regit Stephanus regnare rogatus:
Hinc reperit compar gloria ſumma decus.

Eiuſdem de eodem.

Solis inſtar Eminentiſſimus D. Cardinalis
perpetuæ animi ſerenitatis retinens.

NIgreſcant quamuis nubes, flatusq; maligni,
Perpetuus Phœbi vertitur axe dies.
Inſtent mille licet magnorum tela laborum:
Ardua curarum pondera mille premant:
Præſulis æternùm radiantem pectore lucem,
Qua tenebris condat, nulla mephitis erit.

Eiuſdem

In Fortitudinē Eminen. Cardinalis in aduerſis.

DVra ſilex ferro ſi ſit percuſſa, coruſcat;
At magis in Stephano cura, laborq; micat.

Eiuſdem ad eumdem

EPIGRAMMA.

Luna gibboſa, & nondum in orbem redacta cū Pontificia Corona, adiecta epigraphe:

CVM TOTVM IMPLEVERIT ORBEM.

ANguſto ſplendore micat latonia Phœbe,
Donec creſcendo cornua plena gerat.
Hactenùs Antiſtes miro ſplendore refulſit,
Non tamen effudit lumen hic omne ſuum.
Expletis gradibus cum totū impleuerit orbem:
Lumina tunc orbi fulgidiora dabit.

Ioannis

IOANNIS BAPTISTÆ CEVÆ
eiuſdem Seminarij alumni.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. v. 2.

DVm ſubit occiduus Thetitis cunabula Titan,
Lucis & ardentes frigerat amne rotas:
Non ſepelit pigro merientia lumina ſomno:
Circinat alterna ſubdita regna face.
Sic STEPHANVS *curis concludit ſera diurnis*
Limina, labentem dum fugat vmbra diem.
Feſſa ſed ingratæ dum laxat membra quieti,
Spiritus inuigilat: mens vacat vna Deo.

Eiuſdem de eodem
STEPHANVS DVRATIVS.
Magnes animorum.

DIſcolor æra lapis cupido ſibi fœdere iungit,
Ceu ſocia nectat mutua tæda face.
Delicium Præſul Populi ſibi corda coarctat,
Raptaq; perpetui nexus amore ligat.
Non aulæ veſanus amor: non lucidus oſtri
Splendor, & ambiti muneris hamat amor.
Inquirant alij mentis quo numine fiat:
Hoc mihi ſufficiat dicere, corda ligat.

Eiuſdem

De Eminen. Card. Beneficentia

EPIGRAMMA.

MVnificus quamcumque diem tranſiret inertem,
Hæc, Titus ad ſocios, lux mihi nulla fuit.
Horam, tu Præſul, nullam ſinis ire, benigne,
Qua non vſque pium teſtificeris opus.

Eiuſdem de eodem

Ferraria Eminen. Cardin. diceſſum lacrymatur.

COnata eſt noſtrum multos retinere per annos
Antiſtitem Ferraria.
Illius aſpectu tandem viduata beanti,
Cælum replet clamoribus.
Ferrea nam fuerat, nunc aurea facta, veretur,
Ne ſceptra perdat aurea.

Ioannis

IOANNIS AVGVSTINI TASSARIÆ eiuſdem Seminarij alumni.

Quaſi thus redolens in diebus æſtatis. Ecc. 50.8

SPlendida votiuis dum fumat adorea flammis:
Sacraq; thuricremis ignibus ara calet;
Mortales recreat redolens fragrantia nares:
Et penetrat celſum gratior aura polum.
Vincat honor Stephani: Stephanus fragrantior ara,
Vnde velut viuo ceſpite ſpirat odor.
Intus amor fulget: diuinos fundit odores:
Siue quod é manibus, ſiue quod ore fluit.
Plaudite iam, Ligures, hoc tanto flamine; tanto
Plaudat honore ſolum; Plaudat odore Polus.

Eiuſdem de eodem
Sept. Idus Ianuarij Semin. inuiſente, dũ plueret.

Rogus lignorum cum lemmate.

Hos non timet imbres.

HOrrida bacchantur borealis frigora brumæ:
Horribiles fundit plurimus imber aquas.
Fruſtra vis veſtra ardentes extinguere flammas
Haud poterit: Stephanum cælicus vrit amor.

Eiuſdem de eodem

DISTICHON.

CVr Stephano labor eſt gratus, nō grata voluptas?
Affert ille decus: dedecus iſta parit.

Eiuſdem

De Eminentiſsimo D. Cardinali in perluſtranda Diœceſi ſæuientibus locuſtis dira imprecante

EPIGRAMMA.

SEnſit fœdifragus portenta minacia Nilus,
Credite; legifero ſub Duce, charta docet.

Noxius & Stephano didicit parere Ceraſtes,
Vndiq; dum campis ad ſacra iuſſa fugit.

Quæ crædunt alij ſecli miracula priſci,
Præſule ſub tanto, Ianua ſola videt.

BAR-

BARTHOLOMÆI SCATII
eiuſdem Seminarij alumni

In Eminentiſsimi Vigilantiam, & beneficentiam
Epigramma.

EXimius ſiquando nihil pinxiſſet Apelles,
Mærebat ſolidam præteryſſe diem.
Nulla dies vnquam Stephano, nec labitur hora,
Quæ bona non numeret, ſeu benefacta notet.
Quæ maiora licet tantò diſcernere, quantò
Mens maior tabulis, crebrior hora die.

Eiuſdem de eodem.

ARVNDO

EMBLEMA.

EXternis tumefacta iubis vaga brachia pandit
Jntus arundo vacans, facta iocuſque notis.
Virtutis ſpeciem Stephanus non iactat inanem,
Pectora ſed ſolido robore firma manent

Eiuſ-

Eiuſdem de eodem.

Theſaurizate vobis theſauros in Cœlis.

Matth. 6. v. 20.

SOrdet in argento, collectoq; eſurit auro:
Partas inter opes Pauper auarus eget.
Nil inopi credit: ſceleratum condit in arca
Numen: quod donat, dilapidare putat.
Sed quibus inſudat? quibus aggerat hoſtibus aurum?
Hoc rapit vnda, dolus, mors, latro, flamma, dies.
Non tibi, Præſul, amor gazis inhiare caducis:
Æthercam mente fæce tumere pudet.
Mens ſibi nil proprium reputat: nil poſsidet ultrò.
Quod miſeris donas, reris id eſſe tuum.
Munera dum ſpargis: tenues dum nutris alumnos:
Ditior effuſis incipis eſſe bonis.
Nil fures metuas: cæleſti condis in arca:
Theſauri cuſtos ſit Deus ipſe tui.

In aduentum Eminentiſs. Card. in Seminarium.

TETRASTICON.

Sicut Lilium inter ſpinas. Cant. c. 2. v. 2.

VT roſa ſpinigeri calycis dum tegmina rumpit,
Apex rubeſcit aureus.
Spina ſit viſens STEPHANVS plantaria: cunctis
Roſis renidet pulchrior.

Ioſeph

IOSEPH DE FRANCHIS
eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

Sol à ſe ipſo illuſtratur.

VNde putas Phœbum tanto radiare nitore?
Scilicet è proprio lumina fonte fluunt.
Vnde putas STEPHANVM *tyrio fulgere decore?*
An quia ſublimi lux velut arce micat?
Non hinc dignus honos rutilat: fulgentior intùs
Emicat: inde decus mutuat alter honos.
Quid tibi cum roſeo virtus præclara decore?
Tu tibi laus ſola es: lux quoq; ſola tibi.

Hedera.

BAcchica fronde virens crinali planta perẽnat,
Cætera pallor habet.
Cura licet Stephani conturbet plurima vultus,
Corda ſerena virent.
Squallida ſi mærent fatorum membra furore,
Fama perennis ouat.

Eiuſdem

Ad noſtrum Antiſtitem Seminarium inuiſentem

GRATVLATIO.

Epigramma.

SIccine noſtra tuos mirantur limina vultus,
Et reſonas noſtra charus in æde Pater?
Quæ tibi pro tanto reddantur munere grates?
Debita quæ meritis laus ſonet ore tuis?
Non noſtrum quidquam decori ſuperaddere ſummo:
Quilibet eſt impar nam tibi ſummus honos.
Scilicet ipſa tibi tantum tua gloria compar;
Te tua laus celebrat: te tua fama canit.

Lilium puritatis Symbolum.

Lilia virtutis noſtro quæ pectore candent,
Sic STEPHANVS *coluit relligionis aqua.*

Bartho-

BARTHOLOMÆI PIAGGIÆ
eiuſdem Seminarij alumni

EPIGRAMMA.

Mira STEPHANI DVRATII liberalitas.

Lilia dum labris inhiant matura repandis,
Aureus in medio purpurat ore decor.
Largifluas STEPHANVS *palmas dum tendit egenis,*
Aurea de manibus nil niſi dona fluunt.

Eiuſdem
In Eminentiſs. Cardinalis lenitatem.

Leo proſtratis corporibus parcens.

EMBLEMA.

Magnanimos cohibet proſtratis hoſtibus ungues;
Vertit in audaces ora cruenta Leo.
Parcere ſubiectis gaudes: frænare ſuperbos:
Supplicibus facilis, ſontibus eſſe ferox.
Scilicet inde micat generoſæ gloria mentis,
Nobilis atq; pium Principis ingenium.

Eiuſ-

Eiuſdem

In Eminentiſsimi Cardinalis Abſtinentiam.

NIL auet Antiſtes, delataq; dona repellit:
Auri ne mentem cæcus opacet amor.

Eiuſdem de eodem.

TETRASTICHON.

Exoriente Sole obnubilantur Sydera.

DVM redit Eoo Titania lampas ab Orbe,
Inuida ſydereas pauperat igne faces.

Sed ſua dum STEPHANI *diffundit lumina fulgor,*
Cætera lucidiùs ſigna minora micant.

Ioannis

IO. FRANCISCI ROBELLI
eiuſdem Seminarij alumni.

EPIGRAMMA.

GIGAS

Magnos magna decent.

GRandia pertentant magnarum glorio rerum
Corda, per Herculeos tendit & illa vias.
Limina tentauit Titania turba Palorum,
Pelion impoſitum cum ſuper oſſa tulit.
Nil niſi magna parat: terrarum deſpicit ima
Præſul, & ad ſuperas pergit adire domos.
Hinc generoſa patent ſublimis pectora mentis:
Quò magis exurgunt, hoc magis alta petunt.

Eiuſdem

In ~~eiuſdem~~ Archipræſulem Diœceſim perluſtrantem.

PPhœbus vt exoritur, cunctis ſua lumina pandit
Sic, dum luſtrat oues Præſul, vbique micat.

Eiuſ-

Eiuſdem de eodem.

LILIVM.

SPES PVBLICA.

MVltifidas rutilante genas ſuffuſa decore
Lilia candeſcunt, ceu vaga ſigna Poli.
Quis tales vnquam conſeuit veris alumnos?
Quos fouet empyreis terra beata toris?
O ſit ter felix: ſit fortunata quaterq;,
Sicubi ſe tali flore coronat humus.
Huc vaga largiflua proſpectant ſydera fronte:
Huc natura ſuas prodiga fundit opes.
Olim Cæſareis inſcriptis Lilia numis
Spem populis amplam martia Roma dedit.
Aurea, plaude Ligur, floreſcunt Lilia, gaude;
SPES tibi iam certam PVBLICA ſpondet opem.

Eminen. D. Cardinalis alienas opes contemnit, & ſuas largitur.

GArrula iam ſileas Curiorum facta vetuſtas:
Cedunt DERATAE lumina priſca faci.
Scilicet eſt aliquid delata repellere dona:
Sed ſua pauperibus ſpargere, rarus honos.

Antonij

ANTONII IORELLI
eiuſdem Seminarij alumni

In Eminentiſsimi Cardinalis Vigilantiam

Epigramma.

AVrea diſsimulent iterum rediſſe Quirites
Temporibus, tanto ſub Duce, ſecla ſuis.
Mitior excuſſos ſileat Ferraria mores:
Deſinat & vigilis tollere mentis opus.
Hæc quota laus STEPHANI? *ſtupidus miracula cernit,*
Perpetua famæ voce loquenda Ligur.

Eiuſdem argumenti.

Leo habens oculos apertos

Emblema.

EXcubias peragunt fului patefacta leonis
Lumina, ſeu vigilent, ſiue ſopore cubent.
Scilicet & nunquam, Præſul, concludis ocellos
Mentis, & externo lumine cuncta notas.
Hinc procul eſte lupi, procul hinc diſcedite fures:
Paſtor vbiq; ſuum luſtrat ouile vigil.

Eiuſdem de eodem

DISTICHON.

QVæris cur Stephanus mel ſtillet ab ore loquētis?
Puris in labris melificauit apis.

Eminentiſsimus D. Cardinalis Sæuientibus Locuſtis dira imprecatur dum Diœceſim luſtrat ille mari ſe protinus immergunt.

DIra lues Cereri placidæquæ inimica Mineruæ
Heu! male campeſtres diripiebat opes.

Spes tua rebus erat: tantus contunditur auſus:
Mergitur æquoreis noxia turba vadis.

Quis tulit afflictis ſolatia tanta ruinis?
Aut ipſe, aut alter non minor Iſacides.

Sebaſtiani

SEBASTIANI VENTI
eiuſdem Seminarij alumni
Fortis eſt vt mors dilectio.
Canticorum 8.

EPIGRAMMA.

NON frigus Stephanũ, non ſirius abſtrahit ardor;
Non rupes reuocant. Omnia vincit amor.
Fortunatus Amor; quo mens benè ſaucia vitam
Temnit, & ad vitæ limina monſtrat iter.

Eiuſdem.
In Archipræſulem Clericorum Seminarium brumali tempore inuiſentem.

EPIGRAMMA.

SInt Spinoſa licet, ſint horrida carmina quamuis,
Carmina lethæis contumulanda vadis.
Hæc noſtri monumenta tamen ſunt, Præſul, amoris:
Qualiacunque damus, qualiacunque lege.
Lilia ſic dumos candeſcunt pulchriùs inter,
Rebus in anguſtis & magis ardet amor.

Eiuſ-

Eiuſdem

In aduentu Eminentiſs Cadinalis

DISTICHON.

CLerus io clamat, vocesque ad sydera pandit
Lætitiæ, cernens iam remeaſſe Patrem.

Eiuſdem de eodem.

Euchariſticon

In aduentu Eminentiſsimi Cardinalis
in Seminarium.

DVm reget hæc calidus ſpirantia corpora ſanguis
Senſibus hærebunt munera tanta meis.

Ipſe Deus, Deus ipſe, precor, quas reddere grates
Non datur hic, ſupera pendat in arce Tibi.

Ad

AD LIBRVM.

EMINEN. STEPHANVS DVRATIVS

AVREA TOTIVS OPERIS

CORONIS.

QVid titubas prodire liber? penetrare theatra
Orbis quid trepidas? Cæſaris aura fauet.

Ito, nec inuidiam paueas, nec temporis vllam
Atriciem; cedro facta notanda canis.

Ito, nec infauſti metuas ludibria vulgi:
Scommata, vel Momi riſus inanis erit.

Virtutes pauitas quòd non benè pinxeris omnes?
Eſt voluiſſe ſatis; cernitur vngue Leo.

An lucem refugis maior quòd viribus auſus?
Officij indicium eſt; talia fudit amor.

Ergo, metu poſito celeres percurrito metas.
Ito: tuum ΣΤΕΦΑΝΟΣ *namq; coronat opus.*

Francus Gnecus Seminarij
Rector.

AD ERVDITVM LECTOREM.

CVM mentio facta fuerit in hoc libro, fortunæ, fati, Deorum, Diuarum, aliarumque huius generis vocum, vel neceſſitate metrica, vel more Poetico à nobis id factum profitemur. Cæterùm in omnibus nos vltrò ſubijcimus cenſuræ, & correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.

EGO Iulius Pallauicinus ex Societ. Ieſu ex commiſsione Reuerendiſsimi Patris Iuſtiniani de Callio Inquiſitoris Genuen. perlegi Orationem, & adiuncta carmina in laudem Eminentiſs. Stephani Card. Duratij Archiep. Genuen. nihilque in ijs reperi, quod rectæ fidei, aut bonis moribus aduerſetur. In cuius rei fidem ea mea manu ſubſcripſi 4. Kal. April. 1640.

Ego Iulius Pallauicinus Societ. Ieſu &c.

Imprimatur

F. Iuſtinianus Vagnonius à Callio
Inquiſitor Gener. Genuæ, &c.

LECTOR BENEVOLE

Errata grauiora, quę in aliquibus codicibus opportunè correcta non reperies, ſic corrige.

Nat.	Pag. 8.	lin. 3	nato
Quid præterea	39	10	Quid præterea ?
ad extremum orientem	43	1	ad extremum occidentem
ſpocioſa	57	15	ſpecioſa
retror, vm	73	6	retrorſum
Cani	73	9	Cana
ſyrius	76	7	ſirius
ducuiſſe	78	25	docuiſſe
diſociabili	88	21	diſsociabili
v ita	103	23	vite
p eccori	104	12	pecori
	120	10	deeſt ἐν
εκταρι	120	6	νεκταρι
In noſtrum Archipræſulem	128	2	Inter noſtrum Archipræſulem
Ad ſummum Pontificem	137	2	Ad ſummum Pontificatum
	138	1	deeſt ονομα
Idolopæia	143	8	Idolopœia
panchæca	156	7	panchæa
venenum antidotum	159	3	veneni antidotum
Ἑσπεριος	164	16	Αιθεριδη
ſeptimo Februarij	165	4	ſeptimo Idus Ianuarij
corruſca	171	8	coruſca
mauis	179	16	maius
pæctora ſcelurum	184	11	pectora ſcelerum
encoat	186	9	enecat
tumulmuar	190	10	tumulamur
abſcundat	191	15	abſcondat
In Eminentiſſimum	192	18	In Eminentiſſimi
Hyppolitum	193	10	Hippolytum
Thetitiſ	195	4	Thetidis
egęnis	203	7	egenis
In Peuri in labris	208	4	In labris pueri

SPECIAL
92-B
28293

THE GETTY CENTER